

XV.




GEORGII LVDOVICI BOEHMERI
POTENTISSIMO MAGNAE BRIT. REGI ET ELECTORI
BRVNSVICO-LVNEBVRGICO AB AVLAE CONSILIIS
ET IVRIS ANTECESSORIS IN ACADEMIA
GEORGIA AVGVSTA

OBSERVATIONES IVRIS CANONICI.





GOTTINGAE
APVD DANIEL. FRIDERICVM KVBLERVM
CIↃ IↃCC LXVI.



Lectori beneuolo

Salutem.

Eodem consilio, quo ante biennium edidi *obseruationes iuris feudales*, hac sylloge complector selectiora opuscula, varia argumenta *iuris Canonici* illustrantia. Nec Tibi,

Lector beneuole, improbari ſpero inſtitutum, cuius auctores ſuaſoresque agnoſco amicos et patronos, in colligendis his, quae antea diuerſis temporibus, prout ſcribendi occaſionem dedit officii ratio, ſeorſim edita, nunc recognita lucem adſpiciunt. Quae dum ſub limam reuocaui, ipſisque rerum argumentis locupletiora eſſe volui: tum rem non ingratam me facturum eſſe exiſtimaui, cum iisdem, quae ad ea illuſtranda pertinent, documenta medii aeui ſubiungerem. Verſantur potiſſimum in argumentis, ad nobi-

fiſſimam illam iuris eccleſiaſtici partem pertinentibus, quae in exponendis iurium inſtitutorumque eccleſiaſticorum originibus occupatur: in iisque exhibentur alia, quae iuris canonici hiſtoriam, alia, quae origenes praecipuarum iuris eccleſiaſtici doctrinarum, alia quae inſtituta medii aeui, ad nos vsque producta reſpiciunt, et alia, quae iuris canonici in aliis iuris articulis reliquias ſiſtunt. Praemiſſi ſingulis opuſculis princeps, quoad eius fieri potuit argumentum: indeque eorumdem vberius recenſendorum opera eo lu-

benstius supersedeo, cum et ipsa iuris capita, in singulis tractata, exhibeat indiculus huic libello praemissus. Scripsi in Georgia Augusta. a. d. XXIV. April. cIↄ Iↄ CC LXVI.




SERIES

SERIES OBSERVATIONVM.

VI.



OBSER-



OBSERVATIO I

DE

CLEMENTINIS.

ARGVMENTVM

§. I.

Quod ad vniuerſam eccleſiam, in comitiis ſacris vniuerſalibus congregatam, pertinere videbatur, leges ferre, quae vniuerſam eccleſiam obligarent, illud *Pontifices*, firmato pedetentim, quem affectabant, ſacro potentatu, ſeculo vndecimo ſibi ſoli ſumſerunt, propoſitis collectisque *epiſtolis decretalibus*, iisque vi obligandi communitis. Itaque quod olim *eccleſiaſticum* ius erat, iam maximam partem *pontificium* euaſit. Gratiani aliorumque, qui priuatam diligentiam in colligendis eccleſiae decretis poſuerunt, ſtudio excitatus INNOCENTIVS PP. II., *publicae collectionis* periculum facturus, remque nouam, Imperatorum exemplo, aggreſſurus, expoſitis in Synodo, quam Anno cIɔcxxxix. Romae habuerat, conſilii rationibus, impetratisque patrum ſuffragiis, factam *decretalium collectionem*, legis vniuerſalis vim habituram, per orbem Chriſtianum diuulgandam promulgandamque exiſtimauit. (*a*)

Sed

(*a*) Rem luculenter refert ORDERICVS VITALIS *hiſt.*

Sed parum ex voto cesserunt conamina. Nouum illud et insolitum visum Principibus Regnorumque optimatibus, *Episcopum Romanum* orbi terrarum imperare, regnisque et imperiis leges praescribere velle. Itaque haec collectio adeo spreta et neglecta est, vt vix aetatem tulerit.

§. II.

Cum igitur potestas pontificum ista aetate nondum eo pertingeret, vt legibus vniuersalibus moderari orbem christianum possent: istam tamen auctoritatem pedetentim variis artibus eoque inprimis colore nacti sunt, quod, *canonibus*

hist. eccles. Lib. XIII. apud ANDREAM *du* CHESNE *script. histor. Normann. p.* 919. *Anno* CIↃCXXXIX. *Innocentius II. concilium Romae habuit. Multa illis Papa de priscis codicibus propalauit, insignem sacrorum Decretorum textum congessit. Sed nimis abundans per vniuersum orbem nequitia terrigenarum, corda contra ecclesiastica scita obdurauit: Vnde remeantibus ad sua Magistris Apostolica Decreta passim per regna diuulgata sunt: sed nihil, vt manifeste patet, oppressis et opem desiderantibus profuerunt; quoniam a Principibus et optimatibus regnorum cum subiectis plebibus parui pensa sunt.*

bus vniuerſalium a ſe habitorum *concíliorum* promulgatis, vbique decretales epiſtolas intermiſcerent. Hinc per gradus itum. Principio eiusmodi compilationes *priuato* aliorum *ſtudio* adornandas curarunt. Circa finem ſeculi duodecimi apparuit collectio canonum, in *concilio Lateranenſi III.* anno cIↃCLXXIX. latorum, quibus variae ipſius *Alexandri* III. aliorumque Pontificum epiſtolae inſertae et ſub certis titulis digeſtae, cuius antiquum exemplar manuſcriptum ſeruat inſtructa, quae CASELLIS eſt, bibliotheca (*b*). Atque iſta collectione procul dubio vſus BERNHARDVS CIRCA, *Praepoſitus Papienſis*, Alexandri III, (quae maximam eius partem faciunt,) nec non Lucii III. aliorumque Pontificum vsque ad Coeleſtinum, anno cIↃ CXCI. ad ſedem Pontificiam euectum, decretales epiſtolas collectas ſub certis titulis digeſſit: quae *Decretalium collectio*

(*b*) Quod cum mecum beneuole communicatum ſit, eius deſcribendi curam ſuſcepi, vt adiungeretur *Corpori iuris Canonici*, a *B. Parente* a. cIↃ IↃ CC XLVII. edito, in cuius *Appendice II.* p. 181. exhibetur.

lectio vulgo *prima* habetur, et circa hoc tempus edita esse videtur (*c*). Verum enim vero illius natales ad annum CIↃ-CLXXVIII. reiiciendas putauit *vir perillustris* HENR. CHRIST. *L. B. de* SENCKENBERG in *meditat. ex iure publico et priuato fasc. II. medit. V.* §. 4. auctoritate *praefationis* ad *codicem manuscriptum istius collectionis*, quem seruat bibliotheca Academiae Giessensis: *Opus sententiarum extrauagantium B. prepositi Papiensis anno dominice incarnationis MCLXXVIII. praesidente Romane ecclesie Sanctissimo Papa Alexandro in pontificatus anno XX. mense Martii indictionis anno XII. et v. Q. VII. VIII. die mensis sedata iam discordia, que super ecclesiam Romanam et Imperium occasione schismatis per Octauianum heresiarcham aduersus sanctissimum Papam introducta et per successorem ipsius Octauiani Suadonium heresiarcham et Iohanniem Strumensem diutius longo tempore inualuerat, praedicto Io-*

(*c*) Vid. *Gerhard von* MASTRICHT *hist. iur. eccles. n.* 338.

Iohanne vlteriori heresiarcha et Friderico Romanorum Imperatore, qui huic fauorem prestitit, ad vnitatem matris ecclesiae redeuntibus; in sede eiusdem presidente Pontifice Alexandro, sancta et generalis synodus CCLXXXIV. Episcoporum, ad hoc de diuersis mundi partibus conuocatorum, congregata est in basilica, que appellatur Constantiniana, in qua synodo XXVIII. Canones promulgauit Sanctus Papa Alexander. Sed quod pace Viri Celeberrimi dixerim, annus CIƆCLXXVIII. qui ibi excitatur, non est *editionis*, sed annus, quo sub Alexandro PP. III. concilium Lateranense congregari coepit. Curatiori *interpunctione* facta, quae in vetustis codicibus deesse solet, res manifesta est. Legendum est ita: *Opus sententiarum extrauagantium B. prepositi Papiensis. Anno Dominice incarnationis MCLXXVIII. presidente Romane ecclesie Papa Alexandro - - - sancta et generalis synodus - - congregata est.* Hanc lectionem comprobat Inscriptio concilii Lateranensis III. apud HARDVINVM *Concil. Tom. VI. P. II. p.* 1671, quae cum inscri-

ptione citati codicis Giſſenſis fere conuenit. *Anno ab incarnatione domini* cIↃCLXXXI. *praeſidente Romanae eccleſiae Papa Alexandro III. anno pontificatus eius XX. menſe Martio indictione XII. die menſis ſecundo*, (hoc loco quaedam inſerta leguntur, quae hic deſunt.) *Praeſidente eodem ſummo pontifice ſancta Synodus in Baſilica quae appellatur Conſtantiniana* CCLXXX. *epiſcoporum celebrata eſt.* Quaedam diuerſitas et difficultas occurrit in *anno*, qui ibi eſt cIↃCLXXVIII., hic cIↃCLXXX. Sed iam obſeruarunt SEVERINVS BINIVS in *Concil. General. Tom. III. P. II.* p. 1251. et HARDVINVS l. c. p. 1695. annum concilii diuerſimode deſignari. Conuocatio ad concilium facta eſt *anno* cIↃCLXXVII. iamque *anno* cIↃCLXXVIII. Romam profecti ſunt patres; denique anno cIↃCLXXIX. qui eſt pontificatus Alexandri III. *vigeſimus*, *menſe Martio congregata* eſt ſynodus vniuerſalis. Rem accurate explicat GVILIELMVS TYRIVS, qui ipſe huic concilio interfuit, *Lib. XXI. belli ſacri cap. XXVI. Anno ab incarnatione*

cIↃCLXXVIII. *qui erat regni domini Balduini IV. annus quintus, menſe Octobri, cum anno praecedente indicta eſſet per vniuerſum latinorum orbem Romae ſynodus generalis, ad eandem ſynodum vocati profecti ſunt de noſtro oriente, Ego Wilhelmus Tyrenſis Archiepiſcopus.* Addit deinceps, congregationem factam eſſe menſe Martio anno Pontificatus Alexandri *vigeſimo.* Vt adeo nec codicis *Giſſenſis* nec *concilii* inſcriptio annum, quo *congregata* eſt ſynodus, accurate determinet. Ceterum vt ad collectionem Bernardi Circae redeamus, in ea LVCII PP. III. qui anno cIↃCLXXXI. ſedi pontificiae praefuit, epiſtolae continentur, ac proinde iſtam compilationem *iſta aetate poſteriorem* eſſe oportet. Nec in lectione *Lucii III.* ſine probabili ratione error ſcribentis quaerendus eſt, pro quo *Lucium II.* ſubſtituendum putat Dn. Senckenbergius: nam et ipſe, quem laudat, codex Giſſenſis eandem lectionem ſeruat.

§. III.

Apparuit deinde *altera* IOANNIS VALLENSIS. *Tertiam* a BERNHARDO

DO *Compostellano* adornatam, INNOCENTIVS PP. III. per magistrum *Petrum Beneuentanum* mutandam arbitratus, suo nomine anno cIↃccx. edidit. (*d*) *Quartam* quinquennio post ex *concilii Lateranensis* IIII. constitutionibus variisque interim editis rescriptis confici iussit idem pontifex, noui iuris conditor solertissimus. Maiori in illarum promulgatione prudentia vsus pontifex, quam olim Innocentius II, sub primis inualescentis auctoritatis pontificiae incrementis non quasi orbi imperaturus eam vbique promulgans, sed prouide et circumspecte eas tantum *ad academias* et inprimis ad *Bononiensem* transmittens, (*e*) vt eo loco, quo vndi-

(*d*) Conf. ZEG. BERNHARDI van ESPEN *scholia in omnes Canon.* P. VII. cap. II. §. I. et II. p. 169.

(*e*) Vid. epistola INNOCENTII PP. III. *ad vniuersos magistros et Scholares Bononiae commorantes* directa, et collectioni praemissa, apud ANT. AVGVSTINVM in *antiquis collectionibus Decretalium*, ibi: *quas ad cautelam vobis sub bulla nostra duximus transmittendas, vt eisdem absque quolibet dubitationis scrupulo vti possitis, cum opus fuerit, tum in iudiciis quam in scholis.*

hic in Concilio *Lugdunensi II.* (*i*) anno cIↃCCLXXII. nouarum Constitutionum ferendarum auctores fuerunt, quae iussu illorum secundum *methodum Decretalium* sub titulos eo fine redactae sunt, vt singulis *titulis Decretalium Gregorii IX.* insererentur. (*k*) Sed cum solae vtriusque Pontificis decretales singularem fere libellum constituere viderentur; BONIFACIVS PP. VIII. ex illis suisque et aliis antecessorum decretalibus anno cIↃCCXCVIII, Pontificatus sui anno quarto, *sextum* decretalium librum, supplementi ad instar *librorum quinque Decretalium* GREGORII IX. confici iussit (*l*).

§. V.

(*i*) Vid. Collectio decretalium GREGORII X. apud HARDVINVM l. c. p. 705.

(*k*) Ita Gregorius X. in *epistola*, decretalium collectioni praemissa, *ibid. p. 705. quibus vniuersos vti volumus et mandamus in iudiciis et in scholis, ipsasque sub suis titulis inseri, prout exprimitur super eis.*

(*l*) Editus est *V. Non. Martii anno quarto pontificatus*, qui incidit in *annum* 1298. et qui notatur in RICOBALDI *hist. pontif.* apud ECCARDVM *tom. I, script. med. aeui p. 1120.*

§. V.

Tandem prodierunt CLEMENTINAE. Autorem habent CLEMENTEM V., celebrem sui aeui Pontificem, qui primus sedem apostolicam, a Tyberi ad Rhodani ripas, Auenionem transtulit: quo loco deinde Curia Romana sedem rerum suarum et fortunarum per septuaginta annos collocauit. *Iuris callentissimum* (*m*) eum vocat BVLAEVS, siquidem Iuri *Ciuili* et *Canonico* tam Parisiis, quam in antiqua schola *Aurelianensi*, vbi tunc iuris studium celeberrimum fuerat, iuuenis operam dedit. (*n*) Meritis

(*m*) CAES. EGASSIVS BVLAEVS in *hist. Vniuersit. Parisiens. sec. VI. Tom. IV. p.* 103. Idem eius nomen in *Catalogum illustrium Academicorum* referre non dubitauit *ibid. p.* 947. et, *in vtroque*, inquit, *iure excelluit, Parisiis studuit, et Aureliae potissimum iuri ciuili operam dedit.*

(*n*) Id ipsum testatur Clemens in *bulla* de a. cIↃCCCVI. apud BVLAEVM l. c. p. 101. *Cum igitur in Aurelianensi ciuitate litterarum studium in vtroque iure ac praesertim ciuili laudabiliter viguerit ab antiquo, et ad praesens domino fauente refloreat: Nos ipsum Aurelianense studium, quod Nos olim essentiam minonoris status habentes, legendi et docendi in legibus scientia decorauit, etc.*

§. I.

Quod ad vniuersam ecclesiam, in comitiis sacris vniuersalibus congregatam, pertinere videbatur, leges ferre, quae vniuersam ecclesiam obligarent, illud *Pontifices*, firmato pedetentim, quem affectabant, sacro potentatu, seculo vndecimo sibi soli sumserunt, propositis, collectisque *epistolis decretalibus*, iisque vi obligandi communitis. Itaque quod olim *ecclesiasticum* ius erat, iam maximam partem *pontificium* euasit. Gratiani aliorumque, qui priuatam diligentiam in colligendis ecclesiae decretis posuerunt, studio excitatus INNOCENTIVS PP. II., *publicae collectionis* periculum facturus, remque nouam, Imperatorum exemplo, aggressurus, expositis in Synodo, quam Anno cIↄcxxxix. Romae habuerat, consilii rationibus, impetratisque patrum suffragiis, factam *decretalium collectionem*, legis vniuersalis vim habituram, per orbem Christianum diuulgandam promulgandamque existimauit. (*a*) Sed

(*a*) Rem luculenter refert ORDERICVS VITALIS *hist.*

Sed parum ex voto cesserunt conamina. Nouum illud et insolitum visum Principibus Regnorumque optimatibus, *Episcopum Romanum* orbi terrarum imperare, regnisque et imperiis leges praescribere velle. Itaque haec collectio adeo spreta et neglecta est, vt vix aetatem tulerit.

§. II.

Cum igitur potestas pontificum ista aetate nondum eo pertingeret, vt legibus vniuersalibus moderari orbem christianum possent: istam tamen auctoritatem pedetentim variis artibus eoque inprimis colore nacti sunt, quod, *canonibus*

hist. eccles. Lib. XIII. apud ANDREAM *du* CHESNE *script. histor. Normann. p. 919. Anno* CIↃCXXXIX. *Innocentius II. concilium Romae habuit. Multa illis Papa de priscis codicibus propalauit, insignem sacrorum Decretorum textum congessit. Sed nimis abundans per vniuersum orbem nequitia terrigenarum, corda contra ecclesiastica scita obdurauit. Vnde remeantibus ad sua Magistris Apostolica Decreta passim per regna diuulgata sunt: sed nihil, vt manifeste patet, oppressis et opem desiderantibus profuerunt; quoniam a Principibus et optimatibus regnorum cum subiectis plebibus parui pensa sunt.*

bus vniuerſalium a ſe habitorum *concili-liorum* promulgatis, vbique decretales epiſtolas intermiſcerent. Hinc per gradus itum. Principio eiusmodi compilationes *priuato* aliorum *ſtudio* adornandas curarunt. Circa finem ſeculi duodecimi apparuit collectio canonum, in *concilio Lateranenſi III.* anno cIↃCLXXIX. latorum, quibus variae ipſius *Alexandri* III. aliorumque Pontificum epiſtolae inſertae et ſub certis titulis digeſtae, cuius antiquum exemplar manuſcriptum ſeruat inſtructa, quae CASELLIS eſt, bibliotheca (*b*). Atque iſta collectione procul dubio vſus BERNHARDVS CIRCA, *Praepoſitus Papienſis*, Alexandri III, (quae maximam eius partem faciunt,) nec non Lucii III. aliorumque Pontificum vsque ad Coeleſtinum, anno cIↃ CXCI. ad ſedem Pontificiam euectum, decretales epiſtolas collectas ſub certis titulis digeſſit: quae *Decretalium collectio*

(*b*) Quod cum mecum beneuole communicatum ſit, eius deſcribendi curam ſuſcepi, vt adiungeretur *Corpori iuris Canonici*, a *B. Parente* a. cIↃ IↃ CC XLVII. edito, in cuius *Appendice II.* p. 181. exhibetur.

lectio vulgo *prima* habetur, et circa hoc tempus edita esse videtur (c). Verum enim vero illius natales ad annum cIↄ-CLXXVIII. reiiciendas putauit *vir perillustris* HENR. CHRIST. *L. B. de* SENCKENBERG in *meditat. ex iure publico et priuato fasc. II. medit. V.* §. *4.* auctoritate *praefationis* ad *codicem manuscriptum istius collectionis*, quem seruat bibliotheca Academiae Giessensis: *Opus sententiarum extrauagantium B. prepositi Papiensis anno dominice incarnationis MCLXXVIII. praesidente Romane ecclesie Sanctissimo Papa Alexandro in pontificatus anno XX. mense Martii indictionis anno XII. et v. Q. VII. VIII. die mensis sedata iam discordia, que super ecclesiam Romanam et Imperium occasione schismatis per Octauianum heresiarcham aduersus sanctissimum Papam introducta et per successorem ipsius Octauiani Suadonium heresiarcham et Iohannem Strumensem diutius longo tempore inualuerat, praedicto Io-*

(c) Vid. *Gerhard von* MASTRICHT *hist. iur. eccles. n. 338.*

Iohanne vlteriori heresiarcha et Friderico Romanorum Imperatore, qui huic fauorem prestitit, ad vnitatem matris ecclesiae redeuntibus, in sede eiusdem presidente Pontifice Alexandro, sancta et generalis synodus CCLXXXIV. Episcoporum, ad hoc de diuersis mundi partibus conuocatorum, congregata est in basilica, que appellatur Constantiniana, in qua synodo XXVIII. Canones promulgauit Sanctus Papa Alexander. Sed quod pace Viri Celeberrimi dixerim, annus clↃCLXXVIII. qui ibi excitatur, non est *editionis*, sed annus, quo sub Alexandro PP. III. concilium Lateranense congregari coepit. Curatiori *interpunctione* facta, quae in vetustis codicibus deesse solet, res manifesta est. Legendum est ita: *Opus sententiarum extrauagantium B. prepositi Papiensis. Anno Dominice incarnationis MCLXXVIII. presidente Romane ecclesie Papa Alexandro - - - sancta et generalis synodus - - congregata est.* Hanc lectionem comprobat Inscriptio concilii Lateranensis III. apud HARDVINVM *Concil. Tom. VI. P. II. p.* 1671, quae cum inscri-

ptione citati codicis Giſſenſis fere conuenit. *Anno ab incarnatione domini* cIↃCLXXX. *praeſidente Romanae eccleſiae Papa Alexandro III. anno pontificatus eius XX. menſe Martio indictione XII. die menſis ſecundo*, (hoc loco quaedam inſerta leguntur, quae hic deſunt.) *Praeſidente eodem ſummo pontifice ſancta Synodus in Baſilica quae appellatur Conſtantiniana* CCLXXX. *epiſcoporum celebrata eſt.* Quaedam diuerſitas et difficultas occurrit in *anno*, qui ibi eſt cIↃCLXXVIII., hic cIↃCLXXX. Sed iam obſeruarunt SEVERINVS BINIVS in *Concil. General. Tom. III. P. II.* p. 1251. et HARDVINVS l. c. p. 1695. annum concilii diuerſimode deſignari. Conuocatio ad concilium facta eſt *anno* cIↃCLXXVII. iamque *anno* cIↃCLXXVIII. Romam profecti ſunt patres; denique anno cIↃCLXXIX. qui eſt pontificatus Alexandri III. *vigeſimus*, *menſe Martio congregata* eſt ſynodus vniuerſalis. Rem accurate explicat GVILIELMVS TYRIVS, qui ipſe huic concilio interfuit, *Lib. XXI. belli ſacri cap. XXVI. Anno ab incarnatione*

cIↃCLXXVIII. *qui erat regni domini Balduini IV. annus quintus, menſe Octobri, cum anno praecedente indicta eſſet per vniuerſum latinorum orbem Romae ſynodus generalis, ad eandem ſynodum vocati profecti ſunt de noſtro oriente, Ego Wilhelmus Tyrenſis Archiepiſcopus.* Addit deinceps, congregationem factam eſſe menſe Martio anno Pontificatus Alexandri *vigeſimo.* Vt adeo nec codicis *Giſſenſis* nec *concilii* inſcriptio annum, quo *congregata* eſt ſynodus, accurate determinet. Ceterum vt ad collectionem Bernardi Circae redeamus, in ea LVCII PP. III. qui anno cIↃCLXXXI. ſedi pontificiae praefuit, epiſtolae continentur, ac proinde iſtam compilationem *iſta aetate poſteriorem* eſſe oportet. Nec in lectione *Lucii III.* ſine probabili ratione error ſcribentis quaerendus eſt, pro quo *Lucium II.* ſubſtituendum putat Dn. Senckenbergius: nam et ipſe, quem laudat, codex Giſſenſis eandem lectionem ſeruat.

§. III.

Apparuit deinde *altera* IOANNIS VALLENSIS. *Tertiam* a BERNHARDO

DO *Compostellano* adornatam, INNOCENTIVS PP. III. per magistrum *Petrum Beneuentanum* mutandam arbitratus, suo nomine anno cIↄccx. edidit. (*d*) *Quartam* quinquennio post ex *concilii Lateranensis* IIII. constitutionibus variisque interim editis rescriptis confici iussit idem pontifex, noui iuris conditor solertissimus. Maiori in illarum promulgatione prudentia vsus pontifex, quam olim Innocentius II, sub primis inualescentis auctoritatis pontificiae incrementis non quasi orbi imperaturus eam vbique promulgans, sed prouide et circumspecte eas tantum *ad academias* et inprimis ad *Bononiensem* transmittens, (*e*) vt eo loco, quo vndi-

(*d*) Conf. ZEG. BERNHARDI van ESPEN *scholia in omnes Canon.* P. VII. cap. II. §. I. et II. p. 169.

(*e*) Vid. epistola INNOCENTII PP. III. *ad vniuersos magistros et Scholares Bononiae commorantes* directa, et collectioni praemissa, apud ANT. AVGVSTINVM in *antiquis collectionibus Decretalium*, ibi: *quas ad cautelam vobis sub bulla nostra duximus transmittendas, vt eisdem absque quolibet dubitationis scrupulo vti possitis, cum opus fuerit, tum in iudiciis quam in scholis.*

dique iuris capessendi caussa frequentes confluebant iuuenes, in *scholis* et *iudiciis* receptae, per omnes orbis partes penetrarent. Eiusdem exemplum secuti HONORIVS in *quinta*, quam *Honorianam* vocant, compilatione, (*f*) nec minus ipse Pontifex GREGORIVS PP. X, cui natales debet, quam habemus, amplissima, quae numero *sexta* est, decretalium in *quinque libros* digesta collectio, prouidi abstinuerunt ab *vniuersali* per orbis regna et imperia *promulgatione*, sufficere rati, eas in Italia et academiis promulgari, (*g*) vt ex eis orbem permearent, et in iudiciis auctoritatem consequerentur.

§. IV.

(*f*) Vid. *Epistola* HONORII PP. III. ad Magistrum *Tancredum*, Archidiaconum Bononiensem, apud INNOCENT. CIRONIVM in *quinta compilatione epistolarum decretalium Honorii III. p. 1.*

(*g*) Vid. *Epistola* GREGORII PP. IX. ad Doctores et Scholares Bononiae data, praemissa *decretalibus Gregorii IX.* quam ex Authentico excitat *Odericus* RAYNALDVS *in Annal. eccles. ad a. 1234. n. 26. tom. XIII. p. 417.* addito anno et die: *Dat. Spoleti Non. Sept. 1234.*

§. IV.

Codice Decretalium Gregoriano anno cIↃCCXXXIV. absoluto, cum ſubinde nouellae Pontificum conſtitutiones et conciliorum canones prodirent, de illis colligendis quoque cogitatum eſt. Inſigne praeſertim Decretalium incrementum factum ſub INNOCENTIO PP. IV, et GREGORIO PP. X. quorum ille anno cIↃCCXLV. in Concilio *Lugdunenſi I.* (*h*) hic

(*h*) Vid. collectas INNOCENTII IV. decretales apud HARDVINVM *Concil. Tom. VII. p.* 386. Amplioris collectionis decretalium eiusdem Pontificis codicem ineditum, MStum, gloſſatum ſeruat inſtructiſſima *Bibliotheca Berolinenſis.* Exemplum eius, mea cura deſcriptum, *corpori iuris Canonici* in appendice III. p. 349. adiunxit *B. Parens.* Vnde illo aeuo iunctas ſecum inuicem prodiiſſe reperimus *Gregorii IX.* et *Innocentii IV. Decretales;* ceu patet ex nonnullis *codicibus* MSCtis, quos ex bibliotheca Gemmeticenſi excitat BERN. de MONTFAVCON in *biblioth. Manuſcript.* Tom. II. p. 1211. vbi n. 5. alium habet ſub titulo: *Decretales Gregorii IX. gloſſatae cum Innocentii IV. nouis conſtitutionibus item gloſſatis:* alium n. 35. *Gregorii IX. et Innocentii IV. decretales iunctis Innocentii IV. et Gregorii X. cum gloſſis.*

hic in Concilio *Lugdunensi II.* (*i*) anno cIↄccLXXII. nouarum Constitutionum ferendarum auctores fuerunt, quae iussu illorum secundum *methodum Decretalium* sub titulos eo fine redactae sunt, vt singulis *titulis Decretalium Gregorii IX.* insererentur. (*k*) Sed cum solae vtriusque Pontificis decretales singularem fere libellum constituere viderentur; BONIFACIVS PP. VIII. ex illis suisque et aliis antecessorum decretalibus anno cIↄccxcvIII, Pontificatus sui anno quarto, *sextum* decretalium librum, supplementi ad instar *librorum quinque Decretalium* GREGORII IX. confici iussit (*l*).

§. V.

(*i*) Vid. Collectio decretalium GREGORII X. apud HARDVINVM l. c. p. 705.

(*k*) Ita Gregorius X. in *epistola*, decretalium collectioni praemissa, *ibid. p. 705. quibus vniuersos vti volumus et mandamus in iudiciis et in scholis, ipsasque sub suis titulis inseri, prout exprimitur super eis.*

(*l*) Editus est *V. Non. Martii anno quarto pontificatus*, qui incidit in *annum* 1298. et qui notatur in RICOBALDI *hist. pontif.* apud ECCARDVM *tom. I, script. med. aeui p. 1120.*

§. V.

Tandem prodierunt CLEMENTINAE. Autorem habent CLEMENTEM V., celebrem ſui aeui Pontificem, qui primus ſedem apoſtolicam, a Tyberi ad Rhodani ripas, Auenionem transtulit: quo loco deinde Curia Romana ſedem rerum ſuarum et fortunarum per ſeptuaginta annos collocauit. *Iuris callentiſſimum* (*m*) eum vocat BVLAEVS, ſiquidem Iuri *Ciuili* et *Canonico* tam Pariſiis, quam in antiqua ſchola *Aurelianenſi*, vbi tunc iuris ſtudium celeberrimum fuerat, iuuenis operam dedit. (*n*) Meritis

(*m*) CAES. EGASSIVS BVLAEVS in *hiſt. Vniuerſit. Pariſienſ. ſec. VI. Tom. IV. p.* 103. Idem eius nomen in *Catalogum illuſtrium Academicorum* referre non dubitauit *ibid. p.* 947. et, *in vtroque*, inquit, *iure excelluit, Pariſiis ſtuduit, et Aureliae potiſſimum iuri ciuili operam dedit.*

(*n*) Id ipſum teſtatur Clemens in *bulla* de a. cIↃcccvI. apud BVLAEVM l. c. p. 101. *Cum igitur in Aurelianenſi ciuitate litterarum ſtudium in vtroque iure ac praeſertim ciuili laudabiliter viguerit ab antiquo, et ad praeſens domino fauente refloreat: Nos ipſum Aurelianenſe ſtudium, quod Nos olim eſſentiam minonoris ſtatus habentes, legendi et docendi in legibus ſcientia decorauit, etc.*

ritis suis deinde ad Archiepiscopatum *Burdegalensem* euectus, tandem cura et studio PHILIPPI, Galliarum Regis, a Cardinalibus, Perusii commorantibus, *Nonis Iunii* anno clↄcccv. Pontifex Maximus electus est (o).

§. VI.

Ipse iuri dicundo saepius interfuit; (p) de iure consultus, ex Pontificum more, saepius respondit, plurimasque per octo, quibus sedit, annos constitutiones edidit. (q) Multas illarum publici

(o) AMALRICI AVGER. *de* BITERIS *vita Clementis V.* inter STEPH. BALVZII *vitas Papar. Auenionens. Tom. I.* p. 95. BERN. GVIDOINI *vita Clem. V. ibid. p.* 55. Integrum decretum *electionis* eius exhibet HARDVINVS *Concil. Tom. VII. p.* 1277.

(p) Conf. PTOLOMAEI LVCENSIS vita Clementis V. apud BALVZIVM l. c. p. 29. 30. et sq.

(q) Quo magis in his fauit *Philippo*, Galliarum Regi, cuius fauore cathedram Petri ascenderat: eo magis iniurius fuit in *Imperium Romano-Germanicum*, cuius auctoritatem et libertatem vano ausu impugnauit *in Clem. un. de iureiurando* et *Clem. II. de sententia et re iudicata.* De eius fauore in Philippum haec ex AMALR. AVGERIO de BITERRIS, Biographo eius, apud Baluzium l. c. p. 98. adduxisse sufficiat. *Clemens*

blici iuris fecit BVLAEVS, (r) WADDINGVS, (s) BALVZIVS (t) aliique. Multae ne aetatem quidem tulerunt, siquidem regesta trium priorum annorum Pontificatus eius exusta esse BALVZIVS auctor est. (v)

§. VII.

Plurimae tamen, quae ab eo nomen tulerunt, Clementinae Constitutiones in

mens eodem anno reuocauit et renouauit decretales factas et editas contra Regem Franciae per Bonifacium PP. VIII. praecessorem suum, in quarum prima declarauerat regnum Franciae, tam in spiritualibus quam in temporalibus sibi et ecclesiae Romanae subiectum. Alia autem incipit: Clericis laicos. Et omnia quae vigore istarum duarum decretalium fuerant subsecuta, etiam ipse penitus reuocauit.

(r) BVLAEVS *in histor. vniuers. Paris. sec. VI. ab anno* cIɔcccv - cIɔcccxvii.

(s) LVCAS WADDINGVS in *Regesto Pontificio*, adiecto *Annalibus Minorum* cura IOH. MART. FONSECA ab EBORA a. cIɔIɔccxxxiii. denuo editis *Tom. VI. p. 449 - 479.*

(t) STEPH. BALVZIVS in *Vita Pap. Auen.* Tom. II. p. 55 - 288.

(v) BALVZIVS l. c. *Tom. I. p. 687. Certe perierunt omnino regesta trium priorum annorum Pontificatus Clementis, nisi quod in codice 9919. bibliothecae Regiae extant plurima excerpta illo tempore facta ex regesto primi anni.*

in generali, quod ipſo moderatore, praeſentibus plusquam ccc. epiſcopis, Viennae Allobrogum anno cIɔcccxI. celebratum eſt, concilio latae ſunt. Huius congregandi tres potiſſimum cauſas in *Bulla conuocationis* (*x*) a Pontifice expoſitas legimus, vt ponderoſius examinaretur cauſa Templariorum, quorum ordinem in eodem Concilio ferali ſententia antiquatum et exſtirpatum eſſe conſtat; vt ageretur de recuperanda terra ſancta: denique vt corrupti Chriſtianorum mores et diſciplina eccleſiaſtica reformarentur: qua occaſione varia iura, cauſas ciuiles et eccleſiaſticas concernentia, conſtituta ſunt. (*y*)

§. VIII.

(*x*) *Apud* HARDVINVM *Conc. Tom. VII. p.* 1323. Conf. PAVLI LANGII *Chronicon Citizenſe inter* PISTORII *Script. rer. Germ. Tom. II. p.* 422. *In Viennenſi, quod a. Domini* cIɔcccxI. *praeſentibus* ccc. *epiſcopis ſollennizatum, ſtatuit multa, praeſertim ſtatum clericorum et religioſorum concernentia.*

(*y*) Hiſtoriam concilii Viennenſis vlterius proſequuntur SEVER. BINIVS *Conc. General. Tom. III. P. II. p.* 1510. et HARDVINVS l. c. in notis *p.* 1357.

§. VIII.

Peracto concilio Viennensi, ad colligendas Decretales suas animum appulit CLEMENS V. Multae ante, nonnullae post illud, plurimae in eodem Concilio latae erant constitutiones: (z) quas iussu suo secundum *methodum Decretalium Gregorii IX.* in quinque libros certosque titulos digestas, cum apud *Carpentoratum* in *Castro Montiliensi*, Auenionensis dioeceseos, versaretur, in *publico Cardinalium consistorio* a. d. XII. Cal. April. anni cIↃCCCXIII. promulgandas existimauit. (*a*)

(z) Vid. Praefatio IOANNIS *PP. XXII. ad Clementinas. Clemens V. dudum nedum in concilio Viennensi, quin etiam antea et post ipsum concilium constitutiones plurimas edidit, in quibus multa vtilia statuit atque salubria, et nonnulla dubia in iudiciis et extra frequentata decidit.* Conf. AMALRICI AVGERII *vita Ioannis XXII.* apud BALVZIVM *l. c. p. 190.*

(*a*) Rem accurate refert AMALRICVS AVGERIVS de BITERRIS in *vita Clementis* V. apud BALVZIVM *l. c. p. 110. Anno, quo supra,* (cIↃCCCXIII.) *XII. Cal. Aprilis, quibus fuit festum S. Benedicti abbatis, dictus Papa existens cum curia sua apud Castrum de Montiliis, dio-*

§. IX.

Clementinarum promulgatione in Pontificis conſiſtorio facta, Clemens V. fere per annum adhuc, ſed ſaepiſſime aegrotans, vixit: obiit enim a. d. XII. Cal. Maii cIɔcccxiv. (*b*) Sed eumdem cum multis aliis negotiis arduis impeditum, (*c*) tum morte praeuentum, conſtitutiones ſuas ad GENERALIA STVDIA,

ceſis Auinionenſis, coram ſe in conſiſtorio publico ſuas conſtitutiones decretales, quas in Concilio Viennenſi ordinauerat, publicari fecit, quae hodie Clementinae vocantur. Idem iisdem fere verbis referunt BERNARDVS GVIDO, *Epiſcopus Lodouenſis in vita Clementis V.* ib. p. 60. et MAGNVM CHRONICON BELGICVM apud PISTORIVM *l. c. Tom. I. p. 284.*

(*b*) BERN. GVIDO in *Vita Clementis V.* apud BALVZIVM l. c. p. 80. *Obiit autem in nocte praecedente die ſabbathi ſubſequentis, quod fuit XII. Kalendas Maii anno Domini* cIɔcccxiv. *apud Rochamauram, quod eſt caſtrum Regis Franciae ſuper Rhodanum in finibus regni ſui.* Conf. AM. AVG. *de* BITERRIS *l. c. p. 110.*

(*c*) AM. AVG. de BITERRIS l. c. p. 108. *Super ſtatu eccleſiae et libertate ipſius in dicto concilio plura ſalubria ſtatuta et facta fuerunt, quae hodie Clementinae nuncupantur. Sed ipſe Clemens in multis aliis negotiis arduis impeditus, et poſtea morte praeuentus, iſtas conſtitutiones publicare nequiuit.* Vid. Epiſtola IOANNIS

DIA, vt alioquin moris esse solebat, non transmisisse, referunt scriptores. (*d*) Obseruamus hic rursus *morem Pontificum*, quem cautio et circumspectio induxit, non per orbis regna sed per *Italiae* praesertim et *Galliae Academias* Decretales promulgare: eumdemque in anteriorum Decretalium promulgatione seruatum esse supra §. III. et IV. sigillatim ostendimus. Ad eumdem morem respiciunt scriptores, quando Clementi-

NIS PP. XXII. quae prooemii loco est Clementinis: *Et licet eas collectas in vnum volumen et sub congruis titulis mittere decreuisset et dare in commune subiectis: assidua tamen occupatio circa magna, ac sortis humanae conditio, quae ipsum de medio sustulit, in causa fuerunt, quare suum in hac parte propositum non impleuit.*

(*d*) BERN. GVIDO l. c. p. 80. *Vnde post obiit XII. Cal. Maii. Et sic liber ille non fuit missus ad studia generalia, vt est moris, nec expositus communiter ad habendum; sed remanserunt constitutiones illae sic fere quadriennio in suspenso, donec postmodum per eius successorem fuerunt publicatae, et bullatae, et ad studia generalia destinatae.* Eadem repetit MAGNVM CHRONICVM BELGICVM apud PISTORIVM *Tom. I. p. 284.* Conf. autoris cuiusdam Veneti coaetanei *vita Clementis V.* apud BALVZIVM l. c. p. 86.

mentinas *viuo Clemente V.* ex more antiquo ad generalia studia missas non esse, asserunt: STVDIVM enim veteribus schola, et GENERALE STVDIVM Academia seu Vniuersitas dicitur: (*e*) quo sensu Studium Parisiense et Studium Bononiense saepius occurrit.

§. X.

Quamquam vna fere scriptorum omnium vox sit, Clementinas, viuo illarum conditore, publici iuris factas et per Academias promulgatas non esse: illud tamen non vniuersim et omnino verum esse, euincit, *epistola* CLEMENTIS V. quae *prooemii* loco est in *Codice Clementinarum membranaceo*, (*f*) eius-

(*e*) Vide CAR. *du* FRESNE *Glossar.* voce *studium*, et locum, infra §. X. not. (*f*) ex bulla Clementis excitatum, vbi, quae tum Aureliae adhuc erat schola, vocatur *studium Aurelianense*, eaque erecta esse dicitur in Vniuersitatem, ad modum Vniuersitatis et Collegii *Generalis Studii Tholosani*, hoc est, Academiae Tholosanae.

(*f*) Inscriptio codicis haec est. *Incipiunt constitutiones noue edite in consilio Vienensi per Sanctissimum in Christo Patrem Dominum Clementem Papam quintum.*

eiusdem, quo editae sunt, seculi, qui exstat in instructo *MStorum* apparatu publicae, quae *Cassellis* est, bibliothecae. Ipsam, quam exhibeo, Pontificis epistolam humanitati et fauori Viri illustris et eruditionis laude florentissimi, IOANNIS HERMANNI SCHMINCKII, fautoris plurimum suspiciendi, fero acceptam.

CLEMENS *episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis magistris et scolaribus, Aurelianis commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem. Cum nuper in generali consilio Vienensi, et ante et post, quasdam constitutiones super certis articulis duxerimus promulgendas, vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus eis, quas sub bulla nostra vobis transmittimus, vtamini a modo tam in iudiciis, quam in scolis.* (g)

§. XI.

(g) *Annus* epistolae adiectus non est; sed cum Clementinae a. d. XII. Cal. April. cIɔcccxIII. in consistorio promulgatae sint, et Clemens a. d. XII.

§. XI.

Ipsis itaque Clementis V. litteris testatissimum est, Pontificem Constitutiones suas ad *Studium generale Aurelianense* transmisisse, bullaque munitas promulgasse, vt in scholis et iudiciis consequerentur auctoritatem. Sed et ratio est circumspicienda, quare ad Aurelianensem Vniuersitatem dederit, quas ad nullas, maiori licet in Gallia et Italia litterarum gloria celebres, academias datas deprehendimus Clementinas. Et omnium Galliae academiarum *Aurelianensis* Clementi V. praecipue in deliciis fuit. Ipse iuuenis in ea litterarum elegantiorum et iurisprudentiae studio imbutus, post Pontifex factus, transactae ibidem aetatis memor, *primo* statim *Pontificatus anno* celebrem, quae diu ibi viguerat, Scholam VNIVERSITATIS honore et priuilegiis anno cIɔcccvI. condecorauit, (*h*) et adeo pro eius decore labora-

d. XII. Cal. Maii cIɔcccXIV. diem supremum obierit, intra illum annum eamdem scriptam esse oportet.

(*h*) Bullam Clementis V. datam *Lugduni VI. Kal. Febr. Pontificatus anno* I. qua scholae Aurelia-

laborauit, vt etiamsi inconditi *ciues* et *consules ciuitatis Aurelianensis* contraniterentur, et *Galliae Rex*, PHILIPPVS, erectione Academiae, se inscio et insalutato facta, auctoritatem regiam violatam conquereretur, (*i*) apud Regem tamen tantum effecerit, vt Academiae priuilegia Rex confirmaret: (*k*) quod tamen ea tantum ratione factum, vt quoad

relianensi priuilegia Vniuersitatis, ad instar Tholosanae Academiae, concessit, exhibet CAES. EGASS. BVLAEVS *in hist. vniuers. Paris. Tom. IV. p. 101.* ibi: *praesentium auctoritate concedimus, vt Doctores et scholares in dicto Aurelianensi studio nunc et in posterum immorantes, habeant Vniuersitatem et collegium regendum et gubernandum ad modum vniuersitatis et Collegii Generalis studii Tolosani, dicti quoque Doctores condendi seu faciendi constitutiones, ordinationes, et statuta prouida et rationi consona super modo eligendi Rectorem, qui praedictum Collegium et vniuersitatem regat.*

(*i*) Rem luculenter enarrat BVLAEVS l. c. p. 103. et seq.

(*k*) Confirmationem Regiam de anno cIɔcccxII, exhibet BVLAEVS l. c. p. 105. ibi: *illud priuilegiis beneficiis et libertatibus munientes. studium generale praesertim Iuris Canonici et ciuilis fauente Deo perpetuum ibidem esse volumus. et Regia auctoritate firmamus.*

quoad *Iuris Canonici* et *Ciuilis* ſtudium priuilegia Academica, Doctores et Magiſtros creandi, conferret. Quod igitur ex re Academiae, ſibi perdilectae, eſſe videbatur, conſtitutionum ſuarum, velut nouam *iuris Canonici*, collectionem ad illam prae ceteris omnibus transmittendam curauit Clemens V; quo minus eamdem in reliquis Academiis promulgaret, morte aliisque forte cauſis impeditus.

§. XII.

Quae quamquam ita ſeſe habeant, et Clementinae non ſolum in ſacro Cardinalium Conſiſtorio probatae fuerint, verum etiam ad Aurelianenſem Academiam transmiſſae ibique promulgatae: nihil tamen impedit, quo minus praeter allatas, quibus *generalem* Clementinarum *publicationem* a Clemente intermiſſam eſſe ſcriptores referunt, aliae eaeque *arcanae* intercesſerint rationes. Quandoquidem enim Clemens V. abſoluta iam Clementinarum collectione, eaque in Conſiſtorio approbata, adhuc per annum vixit: inſigne profecto emergit dubium

bium, qui factum, vt Clemens ab earum generali in Academiis promulgatione destiterit. Quot quantisque enim *negotiis* Clemens V. impeditus fuerit, ea tamen profecto tanta non fuerunt, quo minus, quae *facillimo negotio* explicari potest, per integrum fere, quo superstes fuerat, annum non expediendam curauerit promulgationem. Et fama ingens fuit eodem seculo, a verisimilitudine non aliena, Clementem *poenituisse* multorum, quae in *Concilio Viennensi* iniuste et inprimis aduersus Templarios statuta erant. IOANNES AVENTINVS, (*l*) Auctore, qui sub Clemente V. et Ioanne XXII. floruit, *Wilhelmo Occamo*, eum ideo ab illarum publi-

(*l*) AVENTINVS *Annal. Boiorum lib. VII. cap. XV. n.* 18. de Ioanne PP. XXII. quaedam enarrans, ita pergit. *Septimum iuris Pontificii librum, quem Clemens V. decessor eius composuerat, sed quod multa, quae simplicitati Christianae et libertati religionis imponerent, ibi continerentur, publicare supersederat, atque animam agens aboleri iusserat, edidit: omnia quae ibi scripta erant rata fore constituit: quae a Benedicto, qui Ioanni successit rursus antiquata sunt. Haec a Wilhelmo Occamensi accepi.*

publicatione destitisse refert, quod multa in eis *religionis libertati* et *Christianae simplicitati* aduersa continerentur, ac proinde Pontifex, animam agens, illas *aboleri* iusserit. Similia narrat IOANNES ANDREAE, (*m*) scriptor coaeuus, celebris Clementinarum glossator. Eodem pertinet coniectura IOANNIS, quondam Canonici S. Victoris Parisiensis,

(*m*) IO. ANDREAE in *Glossa* ad Praefationem Ioannis PP. XXII. Clementinis praemissam ad verba: *de cetero. Circa hoc sciendum est, quod constitutiones concilii licet non omnes fuerint in concilio publicatae, tamen postea de facto fuerunt publicatae et ipsarum habita copia, et tam habebatur, quod ligarent. Et quia patuit, aliquas ex illis inepte, aliquas prolixe, aliquas defectiue compositas, aliquas etiam non expedire, noluit Clemens quod compositio illa procederet; sed, vt fertur, sub excommunicationis poena mandauit, quod illas habentes, intra certos dies restituerent camerae, vel incenderent, vel dilacerarent etiam easdem. Demum per peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas et paucas in totum reseruarunt, aliquas in totum resecarunt, aliquas mutauerunt quoad verba, mente seruata: in aliquibus menti et verbis detraxerunt, et addiderunt. Et has licet non sub his verbis in Concilio publicatae fuissent, voluit sub nomine concilii reseruari, et multas constitutiones vtiles addens, de quibus non fuerat in concilio tractatum.*

riſienſis, (*n*) qui Clementem Conſtitutiones ſuas ſub curas poſteriores reuocare voluiſſe, auctor eſt. Denique ſucceſſor eius, IOANNES PP. XXII. inter cauſas, cur ipſe per aliquot annos Clementinarum promulgationem praetermiſerit, cum varia negotia publica tum *alias cauſas rationabiles* refert, (*o*) *quas*, inquit, *ſub ſilentio prouidimus committendas*. Arcanae igitur, quas ſilentio obtegendas cenſuit Papa Ioannes XXII. procul dubio hae fuerunt, quod et ipſe dubius haeſerit, et rationes ponderauerit, quae anteceſſorem reuocauerint ab earum generali promulgatione.

§. XII.

(*n*) IOANNIS vita *Ioannis PP. XXII.* apud BALVZIVM in *vit. Pap. Auen. Tom. I. p. 120. Cum Papa Clemens in concilio Viennenſi aliqua ſuſpenſa reliquiſſet, donec ad ſtudia generalia ſub bulla mitterentur, ſperans, vt credo, quod ad limam iterum deuenirent: Ioannes XXII. Papa hoc anno ſub bulla publicari fecit. Ioannis Pariſienſis* vero ſub Clemente V. et Ioanne PP. XXII. vixit. vid. BVLAEVS *l. c. Tom. IV. p 69.*

(*o*) Vid. *Praefatio* IOANNIS PP. XXII. *Clementinis praemiſſa.*

§. XIII.

Clemente PP. V. anno cIɔccсxiv. mortuo, sede Romana per biennium vacante, tandem VII. Id. Aug. cIɔcccxvi. electus est IOANNES PP. XXXII. (*p*) Quae hactenus velut in medio relictae erant Clementis constitutiones, tandem *quadriennio* post, Pontificatus sui *anno secundo*, promulgauit IOANNES PP. XXII. easque a. d. VIII. Nov. cIɔcccxvii. ad *Academiam Bononiensem* (*q*) et deinde ad *alia Generalia Studia* transmisit. (*r*) Autoris tamen et compilatoris nomen

(*p*) BERN. GVIDO in *vita Ioannis XXII.* apud BALVZIVM p. 133.

(*q*) Vid. IOANNIS PP. XXII. epistola ad Bononienses data, et *Clementinis* praemissa.

(*r*) Generalem Clementinarum per academias promulgationem testatur BERN. GVIDO l. c. p. 137. nec non p. 157. *Item anno Domini* cIɔcccxvii. *mense Nouembri fecit publicari, et sub bulla sua ad* GENERALIA STVDIA *destinari constitutiones, quas Dominus Clemens praedecessor eius fecerat tam in Viennensi concilio, quam ante et post, quae nondum fuerant ad generalia studia destinatae, sed vsque tunc steterant in suspenso.* IDEM in vita Clementis V. p. 80. Illas a Clementis successore *publicatas, bullatas* et ad studia generalia *destinatas* esse refert.

nomen seruarunt CLEMENTINAE, quamquam ab alio publicatae. Quae quoniam post sextum Decretalium librum editae sunt, nonnunquam nomine LIBRI SEPTIMI DECRETALIVM veniunt. (s) Sed in foro non obtinuit haec appel-

refert. Conf. AMALR. AVG. de BITERRIS in *vita Clementis V.* ibid. p. 110.

(s) Autor Venetus Coaetaneus in *vita Clementis V. ib. p. 86.* de Clemente loquens, *et intendebat*, inquit, *librum septimum Decretalium componere, sed morte praeuentus non potuit.* PTOLOMAEVS *Lucensis* in *vita Ioannis XXII.* ibid. p. 174. *Eodem anno* SEPTIMVM LIBRVM DECRETALIVM *fecit publicari et ad studia generalia sub bulla, vt moris est, destinauit.* Ita quoque Clementinas citat MICHAEL CAESENAS, *generalis minister ordinis Minorum*, in epistola anno cIↄcccxxii. scripta, quam exhibet LVCAS WADDINGVS *Annal. Minorum Tom. VI. p. 396.* ibi: per *aliam Decretalem in Viennensi concilio promulgatam et in* SEPTIMO *libro sub titulo de verb. sign. insertam.* Immo ipse Ioannes PP. XXII. easdem hac appellatione excitat in *epistola ad Ioannem Episcopum Argentoratensem aduersus Beguinas* de a. cIↄcccxxI. quae extat apud BALVZIVM in *collect. actor. veter.* adiecta *Vit. Pap. Auenionens. Tom. II. p. 437. Occasione constitutionis nouae, positae sub titulo de statu monachorum* LIBRO SEPTIMO, *quae incipit: Cum de quibusdam mulieribus.* Falsus tamen ibi est Pontifex in

appellatio, eo quod GLOSSA eam non agnouerit. (*t*)

§. XIV.

Quae de Clementinis breuiter expoſui, ea ſub auſpiciis muneris Profeſſoris iurium Ordinarii, munificentia POTENTISSIMI ATQVE AVGVSTISSIMI REGIS NOSTRI mihi clementiſſime deman-

in citatione, cum iſta conſtitutio extet *in titulo de religioſis Domibus cap. 1.*

(*t*) Notitiam codicum MSCt. Clementinarum dabit BERN. *de* MONTFAVCON in *bibliotheca MSCtorum.* Plures illarum codices paſſim laudat, vnum ex *Biblotheca Vaticana* ſub titulo: *Clementis V. conſtitutiones p. 114.* et ſub eodem titulo ex *bibliotheca Montis S. Michaelis p. 1359.* ſex codices ex bibliotheca *S. Albini Andegauienſis p 1227.* tres codices ex bibliotheca *S. Gratiani Turonenſis*, quorum alter inſcriptus: *Clementis Decretales p. 1276.* duos codices ex *bibliotheca Laudunenſi p. 1294.* Codicem ex bibliotheca *Caeſarea Vindobonenſi* ſub titulo *Clementinae ſiue conſtitutiones Clementis V. p. 563.* et ſub eodem titulo ex *bibliotheca Monaſterii S. Martini Turonenſis p. 1341.* duos codices ex bibliotheca *Monaſterii Fiſcanenſis*, ex quibus alter inſcriptus: *Conſtitutiones Clementis V. in concilio Viennenſi p. 1242.* Codicem ex *Ebroicenſi, p. 1365. ex Diuio Benigniana p. 1285.* ex *bibliotheca S. crucis Romana p. 193.*

mandati, apud vos more maiorum praefari, non a re alienum esse duxi, Generosissimi atque Nobilissimi Commilitones. Id vnicum addo et ex suscepti officii ratione polliceor, me quae a doctore fideli et industrio proficisci possunt, summa fide praestiturum, idque acturum, vt studiis officiisque meis vestrum in me fauorem prouocem atque demerear. Quae vt vobis mihique fausta et felicia euenire iubeat supremum Numen, ex animo precatus, hanc votorum meorum summam facio, vt florente AVGVSTISSIMO PATRE PATRIAE, florente Domo Augusta, florente Illustrissimo Administrorum Regis Ordine, florente Illustrissimo Georgiae Augustae Curatore, haec Musarum Sedes felix semper et fortunata sit et laetissimis incrementis florentior. P. P. in *academia Georgia Augusta* a. CIↃ IↃ CC XLII.



APPEN-

APPENDIX.

Fragmentum ex Chronographia Conradi de Halberstadt, Professoris SS. Theologiae Ordinis Praedicatorum Prouinciae Saxoniae, sistens Vitam CLEMENTIS V.

Ducentesimo vndecimo dicendum est de Clemente quinto. CLEMENS quintus, nacione Vasco, Burdegalensis dyocesis, ex patre *Bernhardo* milite oriundus, cepit anno Domini M.° CCC. V. Electus fuit in Perusio in vigilia Penthecostes, que fuit Nonas Junii; coronatus autem fuit solempniter in Lugduno in ecclesia sancti Justi dominica infra octavam sancti Martini in crastino sancti Briccii VIII. Kal. Decembris, seditque annis VIII. mensibus X. diebus XV. vbi, quantum admemorabilia?

Primum est, quod hic Clemens quintus prius vocabatur *Bertrandus de Goth*, seu *de Gotho* nominatus. Fuit primo per BONIFACIUM VIII. *episcopus Conuenarum* factus, vbi mansit V. annis, et exinde transtulit ipsum idem Bonifacius, et fecit eum *Burdegalensem archiepisco-*

pum

pum, vbi ſedit quaſi ſex annis, et tunc temporis ſuam prouinciam viſitabat in Pictauia: cumque cardinales eleccione papae incluſi *in Peruſio* ſtetiſſent menſibus XI. diuiſi in partes equales, tandem iſtum Burdegalenſem *in papam* elegerunt. Rediit autem de Pictauia, vbi receptus prouiſionaliter a toto clero et populo cum ingenti gaudio et honore vndique concurrentibus baronibus et prelatis, cum more archiepiſcopi adhuc ſe gerebat, eleccionis ſue decreto nondum recepto, quod poſtmodum miſſum ſibi a cardinalibus de Peruſio recepit in Burdegalia in craſtino ſancte Marie Magdalene. Et ex tunc cepit agere et ſe gerere ſicut papa, et procedens de Burdegalia in *Lugdunum*, vbi ſolempniter, vt dictum, eſt coronatus, preſente *Philippo*, rege Francorum, cum ſua nobili comitiua pariter et regali. Concurrentibus et comprimentibus ſe turbis, depulſa materia cuiusdam muri corruit prope papam, ceciditque ibi *corona* capitis ſui, et in caſu auulſus fuit *carbunculus*, cuius precium eſtimabatur ad ſex millia florenorum, et ipſe papa depoſitus eſt de equo, ſed minime fuit leſus: fuerunt tamen de circumſtantibus ad XII. ſic colliſi, quod infra paucos dies obierunt. De quo mirati ſunt vniuerſi dicentes, eſſe *preſagium*.

Secundum memorabile eſt, quod hic papa Clemens pontificatus anno ſuo primo in aduentu

domini in Lugduno fecit X. cardinales; quorum tres fuerunt de ordine fratrum predicatorum, fcilicet fratres Nicolaus de Framula, tunc confeffor regis Francie, et frater Thomas Anglicus magifter in Theologia, frater Wilhelmus Petri, Magifter in Theologia de prouincia Tholofana, quem affumpfit de lectoratu curie in cardinalem prefbiterum tytuli fancte Cecylie. Item renouauit duos veteres cardinales, quos olym Bonifacius papa VIII. depofuerat et Benedictus XI. ad ecclefiafticam dignitatem reconciliauerat, ipfe repofuit in cardinalatum, fcilicet Iacobum de Columpna et Petrum de Columpna, patruum fuum et nepotem.

Tercium memorabile eft, quod anno domini M. CCC. VI. in fefto fancte Marie Magdalene de mandato et ordinacione regis Francie fuerunt capti *omnes Iudei* vbique in *regno Francie* vna die, et *confifcata* funt bona ipforum omnia, fueruntque a regno expulfi et minime reuerfuri.

Quartum memorabile eft, quod anno domini M° CCC° VII. Clemens papa cum curia Burdegali iuit Pictauiam pro facienda concordia inter *regem Francie* et *regem Anglie*, *Edwardum*, fletitque in Pictauia cum anno vno vel amplius. Eodemque anno menfe Iulio obiit memoratus rex Anglie, *Edwardus*, vir in omni probitate famofus, cui fucceffit filius eius in regno, nomine

mine similiter Edwardus, qui eodem anno, mense Februario duxit in vxorem filiam regis Francie, nomine *Ysabellam*.

Quintum memorabile est, quod anno praetaxato in festo sancti Edwardi confessoris tertio ydus octobris feria sexta primo fuerunt capti *Templarii* vbique in *regno Francie* inopinate propter infamiam, *vt dicitur*, de prophana professione eorundem, quia Christum abnegauerunt, et in obprobrium crucifixi super ipsum expuerunt: fueruntque plures ex eis de maioribus ordinis confessi illius professionis ritum tam abhominabilem execrabilem et nephandum; plurimi tamen eorum confiteri noluerunt, quamuis subiecti fuerunt quaestionibus et tormentis, deinde sedes Romana de veritate facti informata iussit, vt vbique Templarii caperentur.

Sextum memorabile est, quod eodem anno Domini M.° CCC.° VII. inquisitores haeretice prauitatis Lombardie superioris de ordine predicatorum cum Episcopo Versalensi, *cruce* cum plena indulgencia peccatorum *predicata*, congregauerunt *exercitum magnum* contra *Dulcinam heresiarcham*, tam veterum quam nouorum errorum et prauorum dogmatum inuentorem, qui multos interfecerat multosque habebat discipulos et sequaces. Morabatur enim cum suis montanis Nauariensibus, vbi propter intensa frigo-

ra multi fame et frigore deficientes a viribus et vita in suis erroribus perierunt. Ascendentes autem fideles de exercitu ceperunt ibidem Dulcinum et cum eo citra centum et L. personas; mortui vero fame et frigore cum interfectis gladiis quandrigenti sunt inuenti. Cum eodem Dulcino fuit capta *Margaretha,* malefica et heretica, consors eius in scelere et errore. Predicta vero capcio facta fuit in ebdomada sancta in die sacre cene anno Domini M.° CCC.° VIII. Tandem facta debita execucione iusticie de eisdem per brachium et curiam secularem dicta Margareta, ante Dulcini oculos, fuit *membratim conscisa.* Dehinc Dulcinus heresiarcha simili modo *membratim insciditur*, et amborum ossa ac membra omnia pariter *conburuntur* cum quibusdam aliis complicibus, prout eorum secreta merebantur. Non tamen adhuc peruersum Dulcini dogma ipso extincto penitus est exstinctum.

Septimum memorabile, quod anno Domini M.° CCC.° VIII. in festo sancte Katherine *Electores regis Alemanie* conuenerunt in *Francfordia*, et elegerunt concorditer comitem *Hinricum de Lutzelnborg* in regem Romanorum et Alemanie Aquisgrani in Epiphania Domini. Subsequenti vero anno IX. idem *Hinricus* rex misit ambasiatores solempnes ad papam apud Auionem, scilicet tres comites et duos episcopos, petens

petens *confirmacionem eleccionis et coronacionem imperii* ab ipſo papa ſibi dari: qui eleccionem admiſit et confirmauit; coronacionem autem imperii promiſit, dicens, quod a feſto purificacionis ad duos annos *Rome* veniret coronam imperii ibidem recepturus.

Octaunm memorabile eſt, quod anno Domini M.° CCC.° X. fuerunt pluuie multe et inundaciones magne in partibus Tholoſane Albienſibus et Carcazomenſibus. In toto vero tempore vernali et eſtiuo ſubſecuta eſt magna ſterilitas *bladi* et *vini*, et tanta fuit in ipſo anno ſubſequenti victualium *Kariſtia*, quantam tunc nemo meminit ſe vidiſſe et etiam audiuiſſe; et quod grauius fuit, in multis regionibus non inueniebatur bladum ad vendendum, nec panis in foro, et pauperes herbas ſicut beſtie comedebant.

Nonum memorabile eſt, quod anno prius dicto, tempore autumpnali, predictus *Hinricus*, rex Romanorum, intrauit *Italiam*, iura imperii percepturus. Et primo venit *Thaurinum*; deinde in ciuitatem *Haſtenſem*; poſt *Vercellas*; poſtea *Mediolanum*, vbi in epiphania domini ſubſequenti recepit *coronam ferream*, quam eidem inpoſuit *archiepiſcopus Medyolanenſis*, et in feſto illius coronacionis de diuerſis nacionibus *fecit Milites*. Et deinde requirit ciuitates alias

Lombardie de *omagio faciendo*; *Cremonenses* vero et *Laudenses* subesse a principio noluerunt, sed paulo post non valentes resistere consenserunt. *Brixienses* vero diu vsque ad sanguinem et stragem hominum restiterunt; sed postea voluntati eius se submiserunt, et ciuitatem reddiderunt: de quo finaliter doluerunt. Eodem etiam anno Domini M.° CCC.° X. *Clemens* papa pontificatus sui anno VI. in sabbatho quatuor temporum aduentus fecit secundam ordinacionem quinque cardinalium in Avinione.

Decimum memorabile est, quod anno Domini M.° CCC.° XII. fuit epidemia magna et tanta mortalitas hominum non solum pauperum, sed eciam diuitum in partibus *Tholosanis*; quod vix inueniebatur Tholose domus, in qua non plangeretur defunctus, aut non plangeret infirmus. Eodem etiam anno fuit per *Clementem* papam quintum apud *Viennam* super Rodanum *generale* prelatorum *concilium* conuocatum, vbi concilio residente papa proposuit de agendis, videlicet de *statu ordinis milicie Templi*, cuius fratres nephanda professione grauiter culpabantur, propter quod *ordinem templariorum* papa tunc cassauit et penitus annichilauit. Et postmodum cassacionem et annullacionem, *presente rege Francie Philippo*, ac Domino Karolo fratre suo, et tribus liberis eiusdem, scilicet primogenito Lodewico, rege Nauarre, et Philippo et Carolo confirmauit, sic-

ſicque annihilatus eſt Ordo Templariorum poſt annos C. LXXXIIII.

Vndecimum memorabile eſt, quod eodem anno, eciam ſabbato quatuor temporum, que fuit X. Kal. Ianuarii, apud Avinionem Papa *Clemens quintus* fecit terciam ordinacionem Cardinalium, quos aſſumpſit. Item anno Domini M°. CCC°. XIII. quinta die Mayi fuit frater *Petrus de Marrone*, quondam papa *Celeſtinus*, canonizatus, vt dictum eſt ſupra C°. de Celeſtino V°. et ſub *nomine ſancti Petri confeſſoris* ſanctorum confeſſorum catalogo annumeratus per papam Clementem quintum, pontificatus ſui anno VIII. a tranſitu vero prefati ſancti Petri anno XVII. et eius *feſtiuitas* fuit inſtituta *XIII. Kal. Iulii* celebranda, qua die exiuerat de hoc mundo. Inſuper anno Domini M°. CCC°. XIIII. in vigilia beati Gregorii pape in die lune Pariſiis fuit *conbuſtus magiſter Ordinis* quondam *templi* cum quodam alio magno eiusdem *Ordinis praeceptore*. et erant tunc preſentes Pariſiis duo ſancte Romane eccleſie preſbyteri cardinales.

Duodecimum memorabile eſt, quod anno Domini eodem, in feſto ſancti Benedicti abbatis, XIII. Kal. Aprilis in *caſtro de Mondiliis*, vbi tunc *curia* morabatur, *Clemens* papa fecit *in conſiſtorio publicari conſtitutiones, quas prius fecerat ordinari, ex quibus decreuerat fieri libellum*

 vnum,

vnum, quem, ſicut vulgatum fuit, volebat VII^m *Decretalium appellare, ſicut fecerat Bonifacius* VIII^us *antecesſor ſuus, cepitque Clemens papa ex tunc egrotare, unde poſt obiit XXXI. die XII. Kal. Maii: et ſic liber ille non fuit miſſus ad ſtudia generalia, vt eſt moris, nec expoſitus communiter ad habendum, ſed remanſerunt ſic conſtitutiones quadriennio in ſuſpenſo, donec poſtmodum per eius ſucceſſorem Iohannem fuerunt publicate, et ſub bulla ad ſtudia generalia deſtinate.*

Tredecimum memorabile eſt, quod anno Domini M°. CCC°. XVI. circa natale Domini apparuit *cometa*, curſum ſuum per noctem faciens circa polum, comamque ſuam longam nunc verſus orientem, nunc verſus occidentem, nunc ad partes alias protendebat, durauitque vsque ad finem Februarii: et paulo poſt apparuit ſecunda cometa in parte orientali, ſed minor, quam alia, videbatur, et ſtatim poſt anno Domini M°. CCC°. XVI°. ſabbatho infra octauas Pentecoſtes Nonas Iulii obiit Rex Francie *Lodewicus* regni ſui anno II°. fuitque corpus eius in honore regio in monaſterio ſancti Dyoniſii tumulatum; ſecunda vero vxore Domina *Clemencia* remanente grauida et pregnante. Poſt hoc vero XIIII. die menſis Nouembris dominica die memorata regina Clemencia peperit Pariſiis filium ſuum primogenitum, et *Iohannes* vocatum eſt nomen eius, et multi in natiuitate eius

eius sunt gauisi, sed gaudium cito pertransiit. Nam septima die a natiuitate sua infans obiit, et abiit sibi accipere regnum sempiternum. Hic *Hinricus* imperator *intoxicatus* fuit in *sacramento altaris* post multa bona opera, vt dicitur, et in ecclesia Pisensi sepelitur. Item *Clemens* iste, positus in extremis, valde *deplorauit*, se *reum* esse *mortis Hinrici* imperatoris, et *destruccionis Ordinis Templariorum*. Dicitur eciam communiter, quod *magister* iste dixit in agone, *se et ordinem suum omnium illorum innocentes*, que ipsis imponebantur, *appellans ad summum iudicem*. Ad quem specialiter *papam* et *Philippum* regem Francie super hoc sibi responsuros, peremtorie citauit. Qui omnes quasi eodem anno mortui sunt. Eodem tempore scilicet anno Domini M.CCC.XVIII. in nocte purificacionis Marie in Francford cecidit pons cum turribus et perierunt quasi 200. homines impetu aquarum.





OBSERVATIO II

DE

CAVTELIS TVENDAE FIDEI PVBLICAE

aduersus iuris Canonici principia circa absolutiones et dispensationes a iureiurando.

ARGVMENTVM

§. I. II. *Hypothesis, posse iurisiurandi validi vim remitti a Pontifice.*

III. *Restringi solet 1) ad iustam causam, de qua iudicium permissum est Pontifici*

IV. *et ne 2) ex regula fiat in praeiudicium tertii.*

V. *Opinio in vsum deducta in pactis publicis impugnandis.*

VI. *Exempla sub Gregorio VII. Innocentio IV. et Ioanne XXII.*

§. VII. *Clementis VI. concessio facta Confessionariis Regis Galliae de remittendo iureiurando commode non seruando.*

VIII. *Cautela inde nata, iurato renunciandi absolutionibus vel dispensationibus, a pontifice requirendis.*

IX. *Cautelae vsus in iurata successionis renunciatione. Periculum, cui exposita est cautela.*

§. I.

Fidei publicae principia inter eos, qui Christianum nomen tuentur, impugnari temere, et quod *ab ipsa religione*

gione grauius expectari posse vinculum fidei humanae videbatur, ipsius *religionis colore* in periculum nonnumquam vocari, dolendum merito esse, grauiter censuerunt Status Imperii Euangelici inter *Pacis Westphalicae tractatus*, quorum collectionem Generosissimo et illustri IOANNI GODOFREDO de MEIERN debemus (*a*). Quod igitur ex fidei publicae insidiis capiendum fuerat consilium, pertinuit ad *fidei publicae tuendae cautiones*, quarum rationes breuiter inquisituro quaedam, ex quibus in discrimen vocari fides publica posset, iuris Canonici principia exponere iuuabit, vt de adhibitarum cautionum rationibus constet.

§. II.

Solenne est, ad tuendam pactorum publicorum fidem *dispensationibus* et *absolutionibus a iureiurando*, a summo Pontifice requirendis, renunciare. Quamquam nullum vinculum ad adstringendam

(*a*) Vid. *Acta Pac. Westph. Tom. II. p. 489. n. 7. et p. 208.*

dam fidem iureiurando arctius, eiusque religio Iure Canonico probata satis ac firmata sit: eius tamen obligatio subinde in discrimen vocata est, ex quo inualuit opinio, infinitae, quam summus Pontifex colore diuini iuris vicarii sibi tribuit, potestati *iurisiurandi* quoque subesse vim ac *obligationem*, eumque ideo si qua iusta videretur caussa, Summi Numinis vice validi iurisiurandi vim et auctoritatem soluere posse, iurantemque a nexibus, quibus Deo aliisque tenetur, liberare (*b*). Non iam sermo est de *inualido* et *iniusto* iureiurando, cuius etiamsi nulla sit obligatio, idque *pro nullo* potius declarandum, (*c*) quam eius relaxatio, quae obligationem ponit, requirenda

(*b*) *c.* 3. *C. XV. q.* 6. *c.* 34. *in f. X. de elect. et elect. potest. c.* 15. *X. de iureiur.*

(*c*) In *c.* 28. *X. de iureiur.* et *in c.* 2. *de pact. in* 6. iuramenti obligatio tum demum adstruitur, si *sine metu et dolo* sponte praestitum est. Cautelae loco eius absolutio exigitur in *c.* 2. *et* 8. *X. de iureiur.* De illicitis et iniustis iuramentis vid. *Christ. Gottl.* BVDERI diss. de *iuramentis principum ecclesiast.* §. 29. 30. 31. Exempla *relaxationum* a iuramentis praestitis collegit *Idem l. c.* §. 42.

quirenda esset, eius tamen relaxatio vel *cautelae loco* vel ideo iure Canonico desiderata est, quod ratione Dei ad promissum seruandum obligatio adesse credatur, vice Dei quoque soluenda. De iureiurando *iusto* et *valido* quaerimus, cuius auctoritate diuina soluendi potestas Pontifici precario adscribitur. Quo posito pontificiae potestatis reseruato, natum est principium: *in omni iureiurando auctoritatem superioris* (*d*), *semper exceptam intelligi*; quod hoc sensu accipiendum esse scribit HENRICVS CANISIVS, (*e*) *quod iuramentum infringi vel irritari possit per Pontificem*, seu vt rationes init celebris Decretalium Commentator, EMANVEL GONZALEZ TELLEZ (*f*) *quod iuramentum minime sit seruandum, quoties apparet, ipsum Superiorem nolle id seruare: nam haec voluntas superioris, modo de ea constet, satis sufficiens est, vt iuramenti obligatio*

(*d*) *c. 22. X. de iureiurando.*

(*e*) *in praelectionib. ad Decretal. lib. II. tit. 24. c. 19. in Oper. Iur. Can. p. 138.*

(*f*) *in Comment. ad Decret. lib. 2. tit. 24. c. 19. n. 5. tom. II. p. 580.*

tio censeatur remissa, dum tamen superior ex caussa iuramenti vinculum remittat.

§. III.

Sed nonnisi ex *iusta caussa* Pontifici iurisiurandi remittendi potestas permitti solet: cuius *cognitio* cum iterum ad Pontificem pertineat, caussam ab eo *pro iusta* haberi sufficiet, vt nexus adeo religiosae obligationis tollatur. Sic inter iustas caussas hanc referunt, *si grauius aut maius bonum faciendum occurrat*, (*g*) quae quam late pateat, et quam facile sub religionis colore et sub praetexta salutis ecclesiasticae, quam, longe alia ac maiores nostri, primaeui Christiani, cordatissimi mortales bona quaerentes, in iurium bonorumque ecclesiasticorum magnitudine collocant, ratione maius bonum praetendi queat, facile est ad intelligendum. Pariter iusiurandum, quod *aduersus vtilitatem ecclesiasticam praestitum est*, (*h*) iusta ratione relaxari posse

(*g*) *C. 3. X. de iureiur.* GONZALEZ *l. c. cap. 3. n. 12. p. 548.*

(*h*) *c. 27. X. de iureiur.*

posse censetur: ac si rursus cum Carneade *solam vtilitatem* ecclesiasticam *iusti prope matrem et aequi esse*, contendere velimus.

§. IV.

Tandem pontificiae potestatis hos limites constituere interpretes solent, (*i*) ne iusiurandum in fraudem seu praeiudicium tertii *ex regula* infringatur. Iustissimus omnino limes, si modo plenitudini, quam vocant, potestatis pontificiae poni posse videretur. Certe hoc constituto limite, consequens est, promissorii iurisiurandi relaxandi ius pontificis numquam esse. Si enim ex iusto *iureiurando promissorio* tertio *ius pactitium* semper quaesitum est, si iuris ex pacto quaesiti violatio *veram laesionem*, omni iure improbatam, continet, omnis iurisiurandi promissorii validi relaxatio improba est, nullo colore Pontifici vindicanda. Sed iterum ad iustam caussam refugium patet, (*k*) ex qua et-

ex

(*i*) GONZALEZ *l. c. cap. 1. n. II. p.* 547.
(*k*) GONZALEZ *l. c. p.* 548.

iam in praeiudicium tertii vice Dei, qui ex indole iurisiurandi, parum accurate perſpecta, praecipuus obligationis creditor eſſe cenſetur, iurisiurandi gratiam faciendi poteſtatem Pontifex ſibi vindicat.

§. V.

Non iam animus eſt, in iſtam iuris Canonici fictionem, qua Dei iure defungi Pontifex creditur, inquirére, nec aeterni illius iuris, iuris vere *naturalis* ac *diuini*, fidem datam, fidemque, iureiurando ſancitam, ſeruandam eſſe, aeternam veritatem exponere: illud tantum rerum geſtarum argumentis oſtendere iuuabit, ex eisdem principiis *pacta publica* iuſtiſſima impugnata ſaepius, et fidem publicam magno orbis Chriſtiani, rerumpublicarum, Imperantiumque damno periculo expoſitam eſſe.

§. VI.

Primus omnium Pontificum *Gregorius VII.* pacta, in quibus vnica ſalutis et ſecuritatis publicae ratio continetur, et quae nexum Imperantem inter

et ſubditos ſanctiſſimo homagii vinculo conſtituunt, diſſoluere *inaudito* hactenus *exemplo* ſibi ſumſit: conſtituto prius propria auctoritate, quod iure non poterat, in Dictatibus ſuis (*l*) principio, papam reges deponere, nexibusque iurisiurandi ſubditos ſoluere poſſe, quod deinceps in *Henrico* IV. iuſtiſſimo iurium Imperialium aduerſus molimina papalia vindice, exequeretur, ſubditis a iurisiurandi ipſi praeſtiti religione propria auctoritate abſolutis, hoc eſt, ad homagium violandum inductis, periurii ab omnibus commiſſi culpa publica bulla in ſe recepta (*m*). Ea eſt ſummae Maieſtatis ratio, vt neminem niſi Deum ſuperiorem agnoſcat; (*n*) vt adeo qui ſubiectionis

(*l*) apud BARONIVM in *annal. Eccleſ. ad an.* CIↃ LXXVI. n. 13.

(*m*) vid. BVLLA *Gregorii VII. in bullario Magno tom. I. p.* 52.

(*n*) Eadem principia tuetur PETRVS de MARCA *de concord. ſacerd. et Imp. lib. II. cap. II.* et ELLIES du PIN *de antiqua Eccleſ. diſcipl. VII.* vbi luculenter euincit, *ciuilem poteſtatem ex natura ſua independentem eſſe a ſpirituali, Reges non niſi ſoli Deo ſubeſſe, eosque etiam poteſtate ſua abutentes ferendos eſſe ab eccleſia,* Pontifici

iectionis vinculum, sanctissimo pacto et diuini Numinis auctoritate constitutum, euertere intenderit, dispositionem diuinam euersurus, non possit non violatae maiestatis reus fieri. Eodem consilio *Innocentius* PP. IV. fidem publicam sanctissima iurisiurandi religione inter *Fridericum Imp.* II. eiusque *subditos* sancitam, impio ausu, indulta subditis a iureiurando *absolutione*, euertere conatus est (*o*). Sed optimus Imperator, suos in fide et religione continere gnarus, pontificiae temeritatis acerrimum vindicem egit fideique publicae defensorem, promulgatis vbique, quae *de iniuriis Pontificum Romanorum in Imperatorem et Principes imperii iniustaque eorumdem tyrannide et vsurpatione*

tifici vero aut ecclesiae nullam competere in reges auctoritatem, nec *directam* nec *indirectam*, nec Reges ab ipsis vllatenus deponi, nec eorum subditos a fide et obedientia eximi posse. Vid. *Iac. Benignus* BOSSVET in *defensione delarationis, quam de potestate ecclesiae sanxit Clerus Gallicanus XIX. Martii* CIↃIↃCLXXXII. *tom. I. Part. II.* per tot.

(*o*) vid. Bullam *Innocentii PP. IV. in c. 2. de re ind. in VI. et in bullario Magno tom. I. p. 112.*

ne inſcribuntur, edictis, publici iuris factis a MELCHIORE GOLDASTO *Conſtitutionum Imperialium* tom. I. p. 306. et tom. III. p. 382. ſeqq. Simili auſu, vt in cauſa propria, qui ad Imperium pertinet, *Italiae Vicariatum* ſub Imperii LVDOVICI BAVARI auſpiciis ſibi vindicaret IOANNES PP. XXII. omnes Ludouico Bauaro iurisiurandi religione obnoxios *de poteſtatis*, quam ſibi tribuit, *plenitudine*, iureiurando abſoluit (*p*). Nec minus in ipſum Imperatorem deinceps iniurius, *ſubditos vaſallosque* ab *homagii* et *Vaſallagii* vinculo ſolutos declarauit: *q*) quamquam ipſe Imperator pro ea, quae ipſius erat virtus et tuendae maieſtatis fideique publicae animi magnitudo, proceſſu ob grauiores *Iacobi de Caturco*, qui ſub Ioannis XXII. appellatione ſe papam gerebat, exceſſus inſtituto, eum Pontificali dignitate indignum lata depoſitionis ſententia declarauerit (*r*).

§. VII.

(*p*) *c. vn. Extrau. Ioan. XXII. ne ſede vac. aliquid innou.*

(*q*) vid. MARTENE *in theſ. anecd. tom. II. p. 638.*

(*r*) vid. *Ludouici IV. appellatio ad futurum concilium*

§. VII.

Vt tentatae illius poteſtatis alia exempla praetercam, ſingulare eſt huius iuris, a *Clemente PP.* VI. cum *confeſſionariis Regum Galliae* anno clↃcccli. communicati, exemplum, quod verbis ipſius documenti, quod Preſbyter ac Monachus congregationis S. Mauri LVCAS d'ACHERY (*s*) exhibet, exponi meretur. *Clemens etc. Cariſſimis in Chriſto filiis, Ioanni Regi et Ioannae Reginae Franciae illuſtribus, ſalutem et Apoſtolicam Benedictionem. Votis veſtris libenter annuimus, iis praecipue, per quae, ſicut deſideratis, pacem et ſalutem animae Deo propitio conſequi valeatis. Hinc eſt, quod nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis et*

cilium generale aduerſus Ioannem XXII. apud STEPH. BALVZIVM *in Collectione actorum veterum ſubiuncta Vitis Papar. Auenioneuſ. n. LXXV. p. 478. et Proceſſus Ludouici IV. ad-aduerſus Ioannem XXIV. ibid. n. LXXII. p. 511. et ſeq.*

(*s*) *In ſpicileg. ſeu collect. veter. ſcript. tom. III. nouae edit. p. 724. n. VI.* Conf. *Venerandi Parentis Ius Eccleſ. tom. III. diſſert. prael. p. 59.*

et successoribus vestris, Regibus et Reginis Franciae, qui pro tempore fuerint, ac vestrum eorum cuilibet, auctoritate Apostolica tenore praesentium in perpetuum indulgemus; vt Confessor Religiosus vel secularis, quem vestrum et eorum quilibet duxerit eligendum, Vota per vos forsitan iam emissa, vltramarino ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ac castitatis et continentiae votis dumtaxat exceptis, nec non iuramenta, per vos praestita, et per vos et eos praestanda in posterum, quae vos et illi seruare commode non possetis, vobis et eis commutare valeat in alia opera pietatis, prout secundum Deum et animarum vestrarum et eorum saluti viderit expedire. Nulli etc. Datum Auinioni XII. Calend. Maii anno nono. Conspicimus potestatem, iusiurandum remittendi, idque in alia pietatis opera commutandi, confessionariis Regis Galliae eiusque successorum in perpetuum indultam: qua posita, quid facilius est, quam *conuenientiae*, in quibus indagandis facillimum est Gallorum in-

ingenium, caussis, seu *ob quas iusiurandum commode seruari nequeat*, conquirere, quidue facilius, quam alia imaginariae pietatis opera, modo iurisiurandi vinculo liberentur, suscipere. Si vero iurisiurandi religio, qua ad adstringendam fidem nihil arctius esse debuerat, periculo relaxationis obnoxia est, quae fides tuta? Forte ex his illustrari possunt, quae olim scripsit Vindex anonymus iurium Domus Austriacae in successionem Hispanicam (*t*) *Enfin y a-t-il quelque diuinité en France, qui y sanctifie tout ce qu' elle etablit pour sa propre Conuenance, et le rende criminel dans tout autre Etat Souverain; qui le dispense de l' obligation des Traitez et des Sermens, pour la faire triomfer impunement de la Religion d' autrui; et enfin qui lui permette d' aller à son interet, par toute Sorte de Voyes, tandis qu'elle tient ses Voisins arretez par le Lien de la Foi publique.*

§. VIII.

(*t*) vid. *Defense du Droit de la Maison d' Autriche à la Succession d' Espagne cap. VI. in* CASSANDRI THVCELII *actis publicis Imperii sec. XVIII. tom. III. p. 104.*

§. VIII.

Quae cum ita sint, vt fides publica, quoad aduersus huiusmodi insidias humanis consiliis fieri potest, in tuto collocetur, placuerunt *cautiones*, quibus, ne vel *absolutiones a fidei publicae obligatione* vel *dispensationes* in vno alteroue actu requirerent paciscentes, efficeretur (v). Vt sanctitati et securitati *Pacis Westphalicae* etiam aduersus ista principia prospiceretur, cautum est, ne aduersus hanc Pragmaticam Imperii sanctionem *dispensationes et absolutiones vnquam allegarentur, audirentur, aut admitterentur*; (x) vt adeo nulla perfidiae, nulla fractae et violatae pacis religiosae

(v) In vnione Electorali, a. 1338, celebrata, iuramentisque Electorum firmata, quam exhibet *Ioach.* MVLLERVS im *Reichs-Tages Theatro sub Friderico V. P. I.* p. 283. seruata est eadem cautela his verbis: *non debemus, nec volumus nec possumus contra iuuari vlla dispensatione, absolutione, relaxatione - - - vndecunque et quomodocunque fieret, siue per nostras aut aliorum hominum preces, siue quod latine dicitur, ex officio.*

(x) *Instr. Pac. Osnabr. art. XVII. §. 3.* Idem cautum in *art. XVI. Instr. Pac. Monaster.*

religiosae excusatio ab improbis absolutionibus repeti queat. Similis est cautio firmandis *Imperatorum Capitulationibus* adhibita. Exemplo Ferdinandi II. enim, quem a iureiurando, quo capitulationis fides adstringitur, absolutionem a Pontifice impetrasse conquerebantur, (y) admoniti Imperii Status, sumto ad eamdem cautelam refugio, FERDINANDVM IV. et sequiores deinceps Imperatores ad nostra vsque tempora in fine capitulationis, ne se per *absolutiones* vel *dispensationes* a sancta capitulationis fide reuocari paterentur, iureiurando adstrinxerunt (z). Quae quidem iurata impetrandarum absolutionum papalium renunciatio quamquam otiosa censeri posset, tum quod in *virtute* et *religione* Summorum Imperantium, ne quid Capitulationi aduersum quaerere videren-

(y) vid. GVNDLINGIVS ad *Capitulation. Caroli VI.* p. 1436.

(z) *Capitulatio* FERDINANDI IV. *art. XLIX.* LEOPOLDI art. XLVII. CAROLI VI. et VII. *art. XXX. uns auch darwider einiger Befehl oder Ausnahm, Dispensationes Absolutiones Geist-oder Weltliche Rechte, wie das Nahmen haben mag, nicht zu statten kommen sollen.*

viderentur, ſumma fiducia collocanda ſit, tum quod Pontificis *nullum* omnino *ius* ſit, ea, quae capitulatione, ſanctione imperii pragmatica, cauentur, impugnandi, fideique publicae violandae materiam per abſolutiones vel diſpenſationes ſuppeditandi: tamen nec illud otioſum eſſe nec negligendum videtur, quod maiorem Statuum Imperii in Imperatorem fiduciam excitat, nec ignorare licet molimina Aulae Romanae, quibus nonnulla capitulationis momenta, eaque inprimis, quae Pragmaticae illius *Sanctionis Weſtphalicae* confirmationem et *articulum XIV. Capitulationis* concernunt, nullo iure irrita reddere contendit, cuius capitulationem temere impugnandi ſtudii nouiſſime improbandum documentum edidit GEORGIVS ab AVRIA Nuncius Papalis (*a*).

§. IX.

(*a*) Ingenuo Germano non poſſunt non improbari declarationis a *Georgio ab Auria* a. d. XXII. Ian. CIↃIↃCCXLII. Francofurti datae, verba, quibus Pacem Weſtphalicam et quae art. XIV. Capitulationis Nouiſſimae ſanciuntur, colore *conceſſae ſibi*, quae non competebat, *a Pontifice Poteſtatis reiicere, reprobare, nulla irritaque*

§. IX.

Solenne est, eamdem tuendae fidei publicae cautionem in *renunciationibus Successionum* illustrium feminarum adhibere. Illustre exemplum est *renunciationis successionis* in Regna et terras hereditarias Domus Austriacae, quam anno cIↃ IↃ CCXXII. Serenissima Archiducissa Austriae, *Maria Amalia*, nupta Carolo Alberto, quem nuper electum Imperatorem Germania venerata est, mox defunctum luget, hac clausula firmauit (b). *A quo ad Deum omnipotentem sic deposito grauissimo iuramento in vinculo verbi et honoris nostri promittimus, quod absolutionem a summo Ponti-*


que declarare, eaque pro nullis inualidis infectisque nunc et in perpetuum futuris temporibus habenda esse, audaci documento in media Germania exponere conatus est, quod exhibetur in FABRI *Staats- Canzley* tom. LXXXIII. p. 134.

(b) vid. DV MONT *Corps diplomatique tom. VIII. P. II. p. 42.* Iisdem verbis Serenissima Archiducissa *Maria Iosepha* nuptiis anno cIↃIↃCCXIX. cum *Friderico Augusto* initis, renunciationem successionis Austriacae comprobauit in documento, quod exhibet *Idem* l. c. p. 10.

Pontifice, siue a quocunque alio, sub qualicunque praetextu excogitabili, nec petiturae ipsae, nec etiam vltro oblatam vnquam simus accepturae. Relatum nuper legimus, pactis dotalibus sub *eadem renunciationis formula* inter defunctam nuper Serenissimam Austriae Archiducissimam *Mariam Annam* et Heroem aeui nostri, *Carolum*, Lotharingiae Principem, contractis, quaestionem in Aula Romana propositam esse; liceatne absolutionibus a iureiurando a curia Romana requirendis valide renunciare? Sane si ex Aulae Romanae principiis, vti in *iureiurando*, ita et in *eiusmodi renunciatione*, *auctoritas Pontificis* excepta intelligenda est: res omnis iterum in *idem discrimen* reducta est, et a iurata non impetrandae a iureiurando absolutionis renunciatione iudicio superioris *absolutio* impetrabitur. Sane si ita argumentari liceret, quam fragilis omnino omnis illa cautela futura esset? Sed profecto si *iustitiam*, quae omnem fidei violationem damnat, si *religionem*, quae iureiurando nihil sanctius constituit, consulimus, damnata est iusti iu-

ris-

risiurandi relaxatio, iusta contra et probanda omnis de ea non requirenda renunciatio: per quam tandem si salua et tuta nuspiam esse fides publica potest, quid quaeso aliud, quam in foederum vi et armorum, fidei publicae securitaquaerere superest? Felices respublicae, quibus sub Principe, FIDEI PVBLICAE DEFENSORE, fidei publicae fructibus, securitatis et quietis commodis, frui contigit!



OB-



OBSERVATIO III
DE
RELIQVIIS IVRIS CANONICI
IN IMPERATORIS ELECTIONE.

ARGVMENTVM

§. I.

Scrupulosiorem *eligendi formam ab ecclesia ad Imperium transiisse*, elegans est acutissimi LEIBNITII coniectura

retur, in medium consulere. Denique cum et *Pontifices Romani* manus in alienam messem inferrent (*d*), et Imperatorum electiones, dissentientibus inprimis electorum suffragiis factas, non *vi* solum, ope nimirum censurarum ecclesiasticarum, sed et *clàm*, ad alterutrius Electi preces sub examen reuocare, et ex formula electionis, in iure Canonico praescripta, de illa iudicare non dubitarent: inualuisse videtur, vt, ne electionis impugnandae materiam darent Electores, formam, in praelatorum electionibus praescriptam, in imperatore eligendo curatius sequerentur. Erant tum in consilio Imperii principum *Decretistae et Legistae*, viri, quibus etiam in

(*d*) De eo in *Philippi* et *Ottonis* electione conqueruntur *Principes Imperii* in *epistola* ad Innocentium PP. III. quae extat inter INNOCENTII *epistolas*, a STEPH. BALVZIO collectas *tom. I. p. 715. Vbinam*, inquiunt, *legistis o summi Pontifices, vbi audistis Sancti Patres, totius ecclesiae Cardinales, antecessores vestros vel eorum Missos Romanorum Regum se electionibus immiscuisse, sic vt vel electorum personam gererent, vel vt cognitores electionis vires trutinarent? Respondendi instantiam vos credimus non habere.*

in cauſſis publicis nihil fere, niſi quod *Decreti*, *Decretalium*, legumque *Romanarum* ſanctionibus cautum conſtitutumque erat, iuſtum rectumque videbatur, quorumque in electionis negotio conſilia vix aliunde quam ex eodem fonte proficiſcebantur. Quod igitur hactenus vſus et conſuetudo potuerat, idem deinceps perfectum conſummatumque eſt in *Aurea Bulla*, inter cuius praecipua capita, curatius ordinata, referendum eſt illud *de Caeſaris electione.* Quae cum hactenus ſeges litium et diſcordiarum in Imperio Germanico fuiſſet: CAROLVS IV. eius perpetuam formam determinare cupiens, plura ex *Iuris Canonici*, quae de *Pontificis* et *praelatorum* electione praecipiunt, decretis repetiit; id quod eo minus mirandum, cum in iſta ſanctione pragmatica componenda *viri* opera vteretur, qui, quisquis ille fuerit, Iuris *Ciuilis* et *Canonici* doctrinis quam maxime imbutus, ex tot Aureae Bullae ſanctionibus conuincitur. Animus iam eſt, ſolennioris *electionis Caeſareae* ratio-

ingenium, caussis, seu *ob quas iusiurandum commode seruari nequeat*, conquirere, quidue facilius, quam alia imaginariae pietatis opera, modo iurisiurandi vinculo liberentur, suscipere. Si vero iurisiurandi religio, qua ad adstringendam fidem nihil arctius esse debuerat, periculo relaxationis obnoxia est, quae fides tuta? Forte ex his illustrari possunt, quae olim scripsit Vindex anonymus iurium Domus Austriacae in successionem Hispanicam (t) *Enfin y a-t-il quelque diuinité en France, qui y sanctifie tout ce qu' elle etablit pour sa propre Conuenance, et le rende criminel dans tout autre Etat Souverain; qui le dispense de l' obligation des Traitez et des Sermens, pour la faire triomfer impunement de la Religion d' autrui; et enfin qui lui permette d' aller à son interet, par toute Sorte de Voyes, tandis qu'elle tient ses Voisins arretez par le Lien de la Foi publique.*

§. VIII.

(t) vid. *Defense du Droit de la Maison d' Autriche à la Succession d' Espagne cap. VI.* in CASSANDRI THVCELII *actis publicis Imperii sec. XVIII. tom. III. p. 104.*

§. VIII.

Quae cum ita sint, vt fides publica, quoad aduersus huiusmodi insidias humanis consiliis fieri potest, in tuto collocetur, placuerunt *cautiones*, quibus, ne vel *absolutiones a fidei publicae obligatione* vel *dispensationes* in vno alteroue actu requirerent paciscentes, efficeretur (*v*). Vt sanctitati et securitati *Pacis Westphalicae* etiam aduersus ista principia prospiceretur, cautum est, ne aduersus hanc Pragmaticam Imperii sanctionem *dispensationes et absolutiones vnquam allegarentur, audirentur, aut admitterentur*; (*x*) vt adeo nulla perfidiae, nulla fractae et violatae pacis religiosae

(*v*) In vnione Electorali, a. 1338. celebrata, iuramentisque Electorum firmata, quam exhibet *Ioach.* MVLLERVS im *Reichs-Tages Theatro sub Friderico V. P. I.* p. 283. seruata est eadem cautela his verbis: *non debemus, nec volumus nec possumus contra iuuari vlla dispensatione, absolutione, relaxatione - - - vndecunque et quomodocunque fieret, siue per nostras aut aliorum hominum preces, siue quod latine dicitur, ex officio.*

(*x*) *Instr. Pac. Osnabr. art. XVII.* §. 3. Idem cautum in *art. XVI. Instr. Pac. Monaster.*

religiosae excusatio ab improbis absolutionibus repeti queat. Similis est cautio firmandis *Imperatorum Capitulationibus* adhibita. Exemplo Ferdinandi II. enim, quem a iureiurando, quo capitulationis fides adstringitur, absolutionem a Pontifice impetrasse conquerebantur, (y) admoniti Imperii Status, sumto ad eamdem cautelam refugio, FERDINANDVM IV. et sequiores deinceps Imperatores ad nostra vsque tempora in fine capitulationis, ne se per *absolutiones* vel *dispensationes* a sancta capitulationis fide reuocari paterentur, iureiurando adstrinxerunt (z). Quae quidem iurata impetrandarum absolutionum papalium renunciatio quamquam otiosa censeri posset, tum quod in *virtute* et *religione* Summorum Imperantium, ne quid Capitulationi aduersum quaerere videren-

(y) vid. GVNDLINGIVS ad *Capitulation. Caroli VI.* p. 1436.

(z) *Capitulatio* FERDINANDI IV. *art. XLIX.* LEOPOLDI art. XLVII. CAROLI VI. et VII. *art. XXX. uns auch darwider einiger Befehl oder Ausnahm, Dispensationes Absolutiones Geist- oder Weltliche Rechte, wie das Nahmen haben mag, nicht zu statten kommen sollen.*

viderentur, summa fiducia collocanda sit, tum quod Pontificis *nullum* omnino *ius* sit, ea, quae capitulatione, sanctione imperii pragmatica, cauentur, impugnandi, fideique publicae violandae materiam per absolutiones vel dispensationes suppeditandi: tamen nec illud otiosum esse nec negligendum videtur, quod maiorem Statuum Imperii in Imperatorem fiduciam excitat, nec ignorare licet molimina Aulae Romanae, quibus nonnulla capitulationis momenta, eaque inprimis, quae Pragmaticae illius *Sanctionis Westphalicae* confirmationem et *articulum XIV. Capitulationis* concernunt, nullo iure irrita reddere contendit, cuius capitulationem temere impugnandi studii nouissime improbandum documentum edidit GEORGIVS ab AVRIA Nuncius Papalis (*a*).

§. IX.

(*a*) Ingenuo Germano non possunt non improbari declarationis a *Georgio ab Auria* a. d. XXII. Ian. CIↃIↃCCXLII. Francofurti datae, verba, quibus Pacem Westphalicam et quae art. XIV. Capitulationis Nouissimae sanciuntur, colore *concessae sibi*, quae non competebat, *a Pontifice Potestatis reiicere, reprobare, nulla irrita*que

§. IX.

Solenne eſt, eamdem tuendae fidei publicae cautionem in *renunciationibus Succeſſionum* illuſtrium feminarum adhibere. Illuſtre exemplum eſt *renunciationis ſucceſſionis* in Regna et terras hereditarias Domus Auſtriacae, quam anno cIↄ Iↄ ccxxii. Sereniſſima Archiduciſſa Auſtriae, *Maria Amalia*, nupta Carolo Alberto, quem nuper electum Imperatorem Germania venerata eſt, mox defunctum luget, hac clauſula firmauit (*b*). *A quo ad Deum omnipotentem ſic depoſito grauiſſimo iuramento in vinculo verbi et honoris noſtri promittimus, quod abſolutionem a ſummo*


Ponti-

que declarare, eaque pro nullis inualidis infectisque nunc et in perpetuum futuris temporibus habenda eſſe, audaci documento in media Germania exponere conatus eſt, quod exhibetur in FABRI *Staats-Canzley* tom. LXXXIII. p. 134.

(*b*) vid. DV MONT *Corps diplomatique tom. VIII. P. II. p. 42.* Iisdem verbis Sereniſſima Archiducissa *Maria Ioſepha* nuptiis anno cIↄIↄccxix. cum *Friderico Auguſto* initis, renunciationem ſucceſſionis Auſtriacae comprobauit in documento, quod exhibet *Idem* l. c. p. 10.

Pontifice, siue a quocunque alio, sub qualicunque praetextu excogitabili, nec petiturae ipsae, nec etiam vltro oblatam vnquam simus accepturae. Relatum nuper legimus, pactis dotalibus sub *eadem renunciationis formula* inter defunctam nuper Serenissimam Austriae Archiducissimam *Mariam Annam*, et Heroem aeui nostri, *Carolum*, Lotharingiae Principem, contractis, quaestionem in Aula Romana propositam esse; liceatne absolutionibus a iureiurando a curia Romana requirendis valide renunciare? Sane si ex Aulae Romanae principiis, vti in *iureiurando*, ita et in *eiusmodi renunciatione*, *auctoritas Pontificis* excepta intelligenda est: res omnis iterum in *idem discrimen* reducta est, et a iurata non impetrandae a iureiurando absolutionis renunciatione iudicio superioris *absolutio* impetrabitur. Sane si ita argumentari liceret, quam fragilis omnino omnis illa cautela futura esset? Sed profecto si *iustitiam*, quae omnem fidei violationem damnat, si *religionem*, quae iureiurando nihil sanctius constituit, consulimus, damnata est iusti iuris-

risiurandi relaxatio, iusta contra et probanda omnis de ea non requirenda renunciatio: per quam tandem si salua et tuta nuspiam esse fides publica potest; quid quaeso aliud, quam in foederum vi et armorum, fidei publicae securitaquaerere superest? Felices respublicae, quibus sub Principe, FIDEI PVBLICAE DEFENSORE, fidei publicae fructibus, securitatis et quietis commodis, frui contigit!



OB-



OBSERVATIO III
DE
RELIQVIIS IVRIS CANONICI
IN IMPERATORIS ELECTIONE.

ARGVMENTVM

§. I. *Origo iurium circa formam electionis imperatoris ex iure Canonico.*
II. *ratione conuocationis a Moguntino faciendae.*
III. *ratione trimestris spatii ad eligendum.*
IV. *ratione electionis ab electoribus praesentibus faciendae, vel absentiae excusandae.*
V. *ratione plurium legatorum ad electionem.*
VI. *ratione ipsius actus electionis, in missa de Spiritu S.*

§. VII. *in iureiurando ab electoribus praestando.*
VIII. *in scrutinio in genere,*
IX. *in specie, in officio scrutatoris,*
X. *in vi maioris electorum partis in designando Caesare,*
XI. *in instrumento electionis,*
XII. *in poena electionis, non iusto tempore celebratae.*

§. I.

Scrupulosiorem *eligendi formam ab ecclesia ad Imperium transiisse*, elegans est acutissimi LEIBNITII conjectura

ra (*a*). Iuribus enim, Imperatorem eligendi, ex Imperii procerum comitiis ad collegium Archiofficialium Imperii translatis, cum auctoritas tanti negotii ad paucos rediisset, iamque de ordine et modo illud pertractandi quaereretur: ipsa rei similitudine ducti ab *Episcoporum* et *Pontificum* electionibus solenniorem eligendi imperatorem formam repetiisse videntur. Quandoquidem *Sedes Moguntina* potiores in electione Caesarea ordinanda et dirigenda partes ab antiquo *iure primatus* exercuerit:(*b*) facile est ad diuinandum, Moguntini Praesulis auctoritate ecclesiasticae electionis formam et rationem in Caesaris electione propositam, commendatam, a ceteris receptam, vel ipso denique vsu probatam esse. Quod in aliis negotiis, pro-

(*a*) In *Praefat. ad Codicem Iuris Gent. diplomat. circa fin.*

(*b*) LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS *ad annum* MLXXIII. apud PISTORIVM *Tom. I. Rer. Germ.* p. 199. *His accensus archiepiscopus Moguntinus, cui potissimum propter primatum Moguntinae Sedis eligendi et consecrandi regis auctoritas deferebatur, Principes de toto regno Moguntiam euocauit.*

prout tunc tempora ferebant, obseruare solemus, quod perinde, vt eorum moderamen penes *clericos* erat, ita ex *iure ecclesiastico* formam definitam acciperent: idem in electione Caesarea animaduertere licet. Cui et alia ratio accessisse videtur. Si enim Episcoporum aliorumque Praelatorum electio tam accurata diligentia peracta est, ne quid ecclesia detrimenti caperet: non minori profecto studio in Imperatorum electione non modo *saluti Imperii* sed totius prope *orbis Christiani* prospiciendum esse videbatur, cum non solum *Germaniae*, verum etiam *Christiani orbis caput*, non imperii secularis moderator tantum, sed *ecclesiae* tutor et *aduocatus* eligendus esset. Hoc aperte profitentur Electores in Ludouici Bauari electione (*c*): *se pro defensione Sacri Romani Imperii ac totius Christianitatis, ad cuius regimen et defensionem idem Imperium principaliter ordinatum dignoscetur*

(*c*) vid. LEIBNITII *Cod. iuris Gent. diplom. Tom. I.* p. 68. In aurea Bulla tit. II. §. 4. *Electores temporale caput Mundo eligere dicuntur.*

retur, in medium consulere. Denique cum et *Pontifices Romani* manus in alienam messem inferrent (*d*), et Imperatorum electiones, dissentientibus inprimis electorum suffragiis factas, non *vi* solum, ope nimirum censurarum ecclesiasticarum, sed et *clàm*, ad alterutrius Electi preces sub examen reuocare, et ex formula electionis, in iure Canonico praescripta, de illa iudicare non dubitarent: inualuisse videtur, vt, ne electionis impugnandae materiam darent Electores, formam, in praelatorum electionibus praescriptam, in imperatore eligendo curatius sequerentur. Erant tum in consilio Imperii principum *Decretistae et Legistae*, viri, quibus etiam in

(*d*) De eo in *Philippi* et *Ottonis* electione conqueruntur *Principes Imperii* in *epistola* ad Innocentium PP. III. quae extat inter INNOCENTII *epistolas*, a STEPH. BALVZIO collectas *tom. I. p. 715. Vbinam*, inquiunt, *legistis o summi Pontifices, vbi audistis Sancti Patres, totius ecclesiae Cardinales, antecessores vestros vel eorum Missos Romanorum Regum se electionibus immiscuisse, sic vt vel electorum personam gererent, vel vt cognitores electionis vires trutinarent? Respondendi instantiam vos credimus non habere.*

in cauffis publicis nihil fere, nifi quod *Decreti*, *Decretalium*, legumque *Romanarum* fanctionibus cautum conftitutumque erat, iuftum rectumque videbatur, quorumque in electionis negotio confilia vix aliunde quam ex eodem fonte proficifcebantur. Quod igitur hactenus vfus et confuetudo potuerat, idem deinceps perfectum confummatumque eft in *Aurea Bulla*, inter cuius praecipua capita, curatius ordinata, referendum eft illud *de Caefaris electione*. Quae cum hactenus feges litium et difcordiarum in Imperio Germanico fuiffet: CAROLVS IV. eius perpetuam formam determinare cupiens, plura ex *Iuris Canonici*, quae de *Pontificis* et *praelatorum* electione praecipiunt, decretis repetiit; id quod eo minus mirandum, cum in ifta fanctione pragmatica componenda *viri* opera vteretur, qui, quisquis ille fuerit, Iuris *Ciuilis* et *Canonici* doctrinis quam maxime imbutus, ex tot Aureae Bullae fanctionibus conuincitur. Animus iam eft, folennioris *electionis Caefareae* ra-

E tio-

tiones ac praecipua momenta ad originem suam reuocare et ex iuris Canonici doctrinis explicare; id quod me non rectius, quam comparatis compositisque ex vtraque parte et vtroque iure institutis, ostensurum arbitror.

§. II.

Quod primum in Imperatoris electione esse solet, Archiepiscopus Moguntinus infra mensem, ex quo de Imperatoris morte ipsi constat, Electores conuocat ad electionis conuentum infra *trimestre spatium* instituendum. Electore Moguntino autem eos vel non omnes vel vnum alterumue non conuocante, omnes et singuli, etiam non vocati, pro ea, qua fluctuanti Imperio prospicere debent, cura et sollicitudine *vltro* intra *eundem terminum* de imperatore eligendo conuenire tenentur (*e*). In his alia ex *Pontificis*, alia ex *Episcoporum* electione in *Aurea Bulla* repetita esse videntur. In *Praelatorum* electione conLvocatio

(*e*) vid. AVREA BVLLA *tit. I.* §. *XVIII. et XXI.*

vocatio illorum, quibus ius eligendi competit, adeo necessaria est, vt electio, vno alteroue non vocato, a ceteris celebrata, nullius momenti habeatur (*f*). Contra in *Pontificis* electione, de cuius obitu fama ad singulos statim peruenire solet, nulla Cardinalium conuocatio desideratur, qui vltro coëuntes validam, ceteris absentibus, celebrant electionem (*g*). Ex his nonnulla transierunt ad Caesaris electionem. Confirmatum quidem est in Aurea Bulla Electoris Moguntini ius, electores ad electionem requirendi, ex antiqui temporis obseruantia competens: conuocatio eorum vero adeo necessaria non est, vt electionis vis ab ea pendeat: quin potius id adoptatum est ex Pontificis electione, vt Electores, etiam *non vocati*, electioni se accingerent (*h*). Cui si post legitimum terminum haud interfuerint: iure

(*f*) c. 18. et 36. X. de Elect. et El. potest.

(*g*) c. 3. de Elect. in 6.

(*h*) Ad imitationem electionis papalis id praescriptum esse, obseruauit Venerandus Parens

iure suo non vsi esse videntur, ac proinde electionem, ceteroquin rite susceptam, impugnare nequeunt (*i*). Ceterum ius, Electores ad electionem Caesaream conuocandi, Archiepiscopo Moguntino ab antiquo competiisse in *Aurea Bulla* traditur, eiusque iuris vix aliae sunt quam ab ecclesia repetitae rationes. Primatis Germaniae dignitate diu eminuit Praesul Moguntinus. Iam a. 975. BENEDICTVS PP. VII. *Willegiso* hunc honorem tribuit, vt *in tota Germania et Gallia post summum culmen Pontificis*

in Iure Ecclesiast. Protest. lib. I. tit. VI. §. *XLVII.*

(*i*) Plura eam in rem disputauit IAC. CAR. SPENERVS in *iure publ. lib. IV. c. II.* §. 10. et HENR. GVNT. THVLEMARIVS *in octouiratu c. XXIV.* §. 27. Aliud obtinet in Electione extraordinaria *Regis Romanorum*, viuo Imperatore facta, ad quam *necessaria* est Electorum conuocatio. Vnde cum ad Electionem MAXIMILIANI I. a. 1486. inuitatus non esset *Rex Elector Bohemiae* VLADISLAVS: speciali deinceps opus fuit conuentione, qua hic *ratam* habuit *Electionem* Maximiliani, perinde ac si in eo designando suffragium tulisset. Conuentionem de a. 1489. exhibet VAL. FERDINAND. DE GVDENVS in *Cod. diplom. tom. IV. p. 485.*

cis, in omnibus ecclesiasticis negotiis, id est, in rege consecrando, et synodo habenda ceteris omnibus archiepiscopis quam et Episcopis praeemineret. (*k*) Cum vero ius, Concilia in Prouincia conuocandi et conuentus eligendorum episcoporum caussa indicendi et dirigendi, ad Primatem olim pertinuerit (*l*): Archiepiscopo Moguntino, velut Germaniae Primati, ius Imperii principes ad electionem conuocandi sensim attributum est. Vnde LAMBERTVS Schaffnaburgensis id ipsi *iure primatus* competere scribit (*m*). Accedit, quod Elector

(*k*) Bullam Pontificis exhibet GVDENVS in *Cod. dipl. tom. 1. p. 10.*

(*l*) vid. PETRVS DE MARCA de *Concordia sacerd. et Imperii lib. VI. c. II.* §. 2. et 6.

(*m*) *ad annum* CIↃLXXIII. vid. supra §. 1. Moguntinum in electione Lotharii a. 1125. primas partes exercuisse, patet ex narratione de eius electione, quam exhibet ORDERICVS VITALIS, Vticensis monachus, in *hist. ecclesiast.* lib. XII. apud du CHESNE *histor. Normanor. scriptor.* p. 882. *Moguntinus archiepiscopus, qui potentia et strenuitate pollebat, prouidentiaque sua, ne schisma vel inordinata surreptio Imperii fieret, praecauebat, Episcopos et proceres*

ctor Moguntinus illo aeuo pro *Decano Collegii electoralis* haberetur: hoc enim titulo eum exornant Principes Electores in epiſtola ad Benedictum PP. XII. (*n*). Vti vero Decano Capituli, diem ad Epiſcopi

res totius regni cum exercitibus ſuis conuocauit, cum quibus vna collectis, de Imperatore conſtituendo tractauit.

(*n*) vid. *Annales* REBDORFFII apud MARQVARDVM FREHERVM *tom. I. ſcript. rer. Germ. p.* 425. Indignatur IO. PET. DE LVDEWIG *in Comment. ad Aur. Bullam tom. I. p.* 173. Moguntinum dici *Electoralis Collegii decanum*, *praeſidem* vel *directorem*, putatque hoc nominis e diametro repugnare documentis legibusque publicis, ſapereque ſtilum monaſticum et adulatorium Moguntino. Sed quis ignorat, vt rem ipſam diſputemus, nullum eſſe collegium poſſe, quod non habeat, qui collegas conuocet, qui ad eos referat, qui ſuffragia eorum exploret, colligat redigatque in ſcriptum. Quae cum Moguntino competant, quid impedit, quo minus huius collegii Auguſtiſſimi praeſes vel decanus appelletur. Ita eumdem in ipſis legum publicarum monumentis ſcriptisque publicis appellari, oſtendit IOANNIS ad *Serrarii res Mogunt. lib. I. c.* 25. adducto praeſertim loco, quo Fridericus III. ad Moguntinum a. 1444. reſcribit: *und haetten wohl gehoffet; wir ſolten D. L. vor allen andern hier gefunden haben, als den naechſten*, (fuit enim cum haec ſcriberet, Norimbergae) *und als einem Dechant und*

ſcopi electionem indicendi, ius competit (*o*): ita inde ad Caeſareae electionis conuocationem facile ductum eſt argumentum. De antiqua conſuetudine teſtatur OTTO FRISINGENSIS, (*p*) qui, *Albertus*, inquit, *nam id iuris, dum regnum vacat, Moguntini Archiepiſcopi ab antiquioribus eſſe traditur, principes regni in ipſa ciuitate Moguntina tempore autumnali conuocat*.

§. III.

Trimeſtri ſpatio, quod ad electionis diem indicendum datum eſt, praefigendo ius Canonicum occaſionem dediſſe, probabili ratione conſtare videtur. Ante Auream Bullam electionis diem *ex Electorum conſenſu et arbitratu* conſtitutum eſſe, ex *Henrici VII.* electione diſcimus

vnd Vorgeher vnſer Churfürſten. Aliud documentum vid. in LVNIGII *ſpicil. eccl. Part. I. Forts. N. 90. p. 77.*

(*o*) vid. PASSERINVS *de Electione Canonica c. XI. n. 4.*

(*p*) *de Geſtis Friderici I. lib. 1. c. 16.*

ſcimus, eiusque rei teſtes ſunt literae Electorum ad Clementem PP. V. miſſae, (q) in quibus, *Vacante*, inquiunt, - - *imperio et nobis vna cum dictis dominis Henrico Colonienſi et Petro Moguntinenſi Archiepiſcopis, noſtris coelectoribus, pro futuri regis ſubſtitutione poſtmodum conuenientibus, in diem electionis, videlicet quartam feriam ante feſtum beati Andreae Apoſtoli, quae eſt viceſima ſeptima dies menſis Nouembris, concordauimus et communiter ipſam diem praefiximus ad electionem huiusmodi celebrandam.* Itaque cum dies electionis ante Auream Bullam magis arbitrii Electorum quam legis eſſet: rationem adeſſe oportuit, ex qua non aliud quam *trimeſtre* ſpatium in Aurea Bulla conſtitutum. Quandoquidem autem epiſcoporum

(q) *apud* LEIBNITIVM in *Mantiſſa cod. iur. Gent. n. XLIX. p.* 253. In Electione *Ludouici Bauari*, anno CIↃCCCXIV. celebrata, dies electionis pari ratione ex Electorum communi conſenſu definitus eſt. vid. *Epiſtola Electorum ad Papam* apud LEIBNITIVM in *cod iur. Gent. n. XXXVI.* §. 2. p. 67.

(r) *c.* 41. *X. de Elect. et Elect. poteſt.*

porum electioni peragendae praefinitum sit (*r*): idem ad Caesaris electionem translatum esse, facile est ad diuinandum (*s*). Intercedit tamen inter vtramque hoc discrimen, quod *Praelatorum* electio intra tres menses peragenda; ad *Imperatoris* vero electionem incipiendam terminum *a die*, in literis vocatoriis designato, *intra trimestre* praefigere sufficiat.

§. IV.

Electioni Caesaris peragendae ipsi olim Electores *praesentes* intererant: neque per legatos et procuratores suffragia ferre integrum fuit, hoc vnico relicto, vt si iusta esset absentiae caussa, absens *vni coëlectorum* suffragii exercitium demandaret. Quam obseruantiam ab *ecclesiastica* electione ad *Caesaream* migrasse, facile perspicimus, attendentes ad INNOCENTII PP. III. sanctionem (*t*): *Interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens*

(*s*) Ita coniecit IO. PETR. A LVDEWIG in Commentario ad *Auream Bullam tom. I.* p. 187.
(*t*) *c. 42. §. 1. X. de Elect. et elect. potest.*

sens in eo loco, de quo debeat aduocari, iustoque impedimento detentus venire non possit: super quo, si opus fuerit, fidem faciat iuramento: et tunc, si voluerit, vni committat de ipso collegio vicem suam. Cuius quidem moris ante Auream Bullam adeo tenaces fuerunt Electores, vt ex iuris pontificii auctoritate iustam absentiae caussam *iureiurando* comprobare solerent: id quod in *Adolphi electione* seruatum esse, exemplo Bohemiae Electoris Wenceslai docemur, cuius legati ipsius absentiam coram omnibus Electoribus Francofurti excusarunt, excusatamque iureiurando confirmantes Electori Moguntino *Gebhardo* suffragium in Caesare eligendo ex ipsius iussu demandarunt. Quod docent literae archiepiscopi Moguntini de *anno* CIↃCCXCII. (v). *Alda dann mit unsern und unserer Mit-Churfürsten Bewilligung die berühmten Männer Hermann von der Leippe, Obriste Land-Kammer des K. Böhmen, Albrecht von Schebrack,*

(v) apud GOLDASTVM *in replicat. pro imperio c. XIII.* p. 173.

brack, Burggraf von Labau und Tobias von Bekbinie Burggraff auf Ereburg des Königs aus Böhmen besondere mit voller Macht und Gewalt abgesandte - - - vor uns und unserer Mit-Churfürsten Gegenwärtigkeit des Grosmächtigen Fürsten und Herrn Wenceslai Königen in Böhmen - - - Entschuldigung vorgebracht, und solches, dass er zur Wahl eines Römischen Käysers selbst persöhnlichen aus Ehehafften nicht erscheinen können, mit ihren Eyde bekräfftiget und erhalten, und uns desselbigen ihres Königes Stimme, deren er sich sonsten, als ein Churfürst und bey der Kaylerlichen Wahl der Ertzschenck, Macht zu gebrauchen hat, anheim gestellet haben; Wir auch mit Willen unserer Mit-Churfürsten seine Stelle angenommen. In Henrici VII. electione Waldemarus ita suffragium tulit: (x) *Ego Waldemarus Marchio Brandenburgensis praenarratus pro me et magnifico Viro Ottone*

(x) vid. *Decretum Electionis* de an. CIↃ CCC IX. apud LEIBNITIVM in *Mantissa Cod. iur. Gent.* p. 252.

ne Marchione Brandenburgensi patruo meo, cuius vices in hac parte gero, nec non illustrium virorum Ioannis et Erici fratrum Ducum Saxoniae, qui etiam vices suas in hoc casu mihi commiserunt, si de iure vel de consuetudine repertum fuerit, eos fore in ipsa electione admittendos, vice et nomine etc. In electione *Ludouici Bauari* a. 1313. *Iohannes II.* Dux Saxo Lauenburgicus fratri *Erico*, regiminis consorti, mandatum dedit eligendi Regem Romanorum: quod huius tenoris est. *Reuerendis in Christo patribus ac dominis Archiepiscopis nec non illustribus Principibus Regis Alemanie electoribus* IOHANNES, *dei gracia Saxoniae, Angarie et Westfalie cum affectu sincero promptam ad beneplacita voluntatem. Quia obstante nobis defectu virium corporali, ac quibusdam arduis causis pro defensione terre nostre nobis incumbentibus ad electionem veniendi nobis ad presens optio non suppetit, nec facultas; Illustri principi, fratri nostro dilecto, domino Erico duci Saxonie ista*

vice

vice eligendi Regem Alemanie damus et concedimus plenam ac liberam poteſtatem, gratum et ratum habentes, quidquid per eundem fratrem noſtrum circa electionem predictam fuerit ordinatum, ac ſi ibidem exhibere poſſemus preſenciam perſonalem. In cuius rei euidenciam preſens ſcriptum dedimus, ſigilli noſtri robore conſignatum. Datum Molne Anno Dni. MCCCXIII. *In die beatorum Galli et Lulli Confeſſorum.* Verum enim vero liberior per Auream Bullam data eſt Electoribus facultas, eorumque arbitrio relictum, vtrum *ipſi* mallent an *per Legatos* obire electionis negotium (*y*). Priſtini moris reliquias tamen poſteriora tempora adhuc tulerunt. Has enim velut officii ſui partes Electores agnouerunt, vt electionis negotio intereſſent, vel ſi eosdem forte abeſſe oporteret, abſentiae rationes redderent. Atque ad hoc ſe nouis pactis et *Vnionibus* obſtrinxerunt; quorſum inprimis *Vnio Electorum, anno* CIↃ IↃ LVIII. cele-

(*y*) vid. *A. B, tit.* 1. §. XXI.

celebrata, pertinet (z). Vnde cum Electores *Anno* cIↄ Iↄ LXII. de Maximiliano II. eligendo, conueniſſent, *Io. Gebhardus*, Archiepiſcopus Colonienſis, valetudine impeditus, abſentiam ſuam ita per literas excuſauit (*a*). *Nun wiſſen wir uns unſerer der im Jahr der mindern Zahl 58. zu Franckfurth verneuerter aufgerichteter und hochbetheurter Churfürſten Vereinigunge und Verbrüderunge gantz wohl zu erinnern, wären auch gantz willig und erkennen uns ſchuldig, alda zu Franckfurt auf beſchehen Erfordern perſönlich anzukommen, und alles das zu thun, das des Heil. Röm. Reichs Ehre Nutz und Wohlfahrt erfordern thut: nachdem wir aber dieſer Zeit, unſers Leibes Ungelegenheit und Schwachheit halber, daran würcklich verhindert werden, und dann in obbemeldter* *un-*

(z) Ad hanc prouocant Electores in Electione Maximiliani II. apud IO. GVILIELM. HOFFMANNVM in Collect. document. inedit. T. II. p. 300.

(*a*) Quae extant inter *Acta Electionis Maximiliani* II. apud HOFFMANNVM *loc. cit.* p. 308.

unser der Churfürsten Einigunge versehen, wo einer oder mehr der Churfürsten Ehehafft der Sachen wegen an persönlicher Erscheinigunge verhindert, dasselbige auf seine Rechte Wahrheit mit offen Brieffen betheuren soll, und daraus und solche Betheurunge etzliche seiner stattlichen und ansehnlichen Räthen mit Vollmacht und Gewalt zu solchen Tag schicken soll, und wir Johann Gebhard, erwählter und bestättigter zu Ertz-Bischoffen zu Cöln und Churfürst, hiemit und in Krafft dies offenen versiegelten und mit eigener Hand unterzeichneten Briefs auf unser rechte Wahrheit, dass wir mit unsem Selbst-Leib nicht kommen können, betheuren thun. Cum in *Matthiae* electione abesset Elector Brandenburgicus; ceteri electores grauiter contenderunt, vt eius legati, caussis absentiae expositis, absentem excusarent: quibus desideriis tandem a legatis satisfactum est (*b*).

§. V.

(*b*) Conf. *Protocollum Electionis* in GOLDASTI *Politischen Reichs-Handlungen P. I. p.* 95. IO. PETR. a LVDEWIG in *comment. ad A. B. tom. II. p.* 203.

§. V.

De *Legatis* et *procuratoribus*, in electionis negotio adhibendis, Aurea Bulla nonnihil ex iure Canonico constituit. Ex BONIFACII *PP. VIII.* constitutione (*c*) pluribus procuratoribus, ad electionem constitutis, eligendi potestas in solidum concedenda est: et cum absenti vnum tantum suffragium in electione competat, iam vero verendum sit, ne plures illius procuratores suffragia sua in diuersos dirigant; vnus ex illis tantum, isque potiori iure ad electionis suffragium ferendum admittitur, qui vel prior electionis spartam susceperit, vel quem capitulum vel maior procuratorum pars elegerit, vel qui priori loco in literis procuratoriis designatus fuerit. Huius dispositionis rationem habuisse Aureae Bullae auctorem, ex hac praescripta formula *procuratorii* electoralium legatorum intelligitur. *Ipsos et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit*

(*c*) in *c. 46. de Elect. et electi potest. in 6.*

ſit melior conditio occupantis, ſed quod per vnum incoeptum fuerit, per alium finiri valeat et licite terminari, omni iure, modo, et forma, quibus melius et efficacius poſſumus ſeu valemus, noſtros veros et legitimos procuratores et nuncios ſpeciales facimus, conſtituimus, et ordinamus (*d*). In eo Lex Imperii a iure Canonico abiit, quod ex pluribus legatis, in ſolidum datis, ei, qui prius procuratoris ſpartam occupauit, ius praecipuum denegauerit, cum ius Canonicum *occupantis conditionem meliorem* eſſe ſanxerit. (*e*) Quae res dubiam Aureae

(*d*) vid. AVREA BVLLA *tit. XIX.* §. *1.* Ad huius formulae exemplum Io. Gebhardus, Septemvir Colonienſis, confirmauit mandatum, quo legatos ſuos ad Maximiliani II. electionem inſtruxit. vid. *Acta electioris* apud HOFFMANNVM l. c. p. 309. *Geben ihnen auch ſämtlich und ſonderlich Macht und Gewalt hiermit, und Gewalt hiemit, und in Krafft dies Brieffs in der allerbeſten Maſs und Form, als wir am kräfftigſten thun ſollen und mögen, cum clauſula quod non ſit melior conditio vnius quam alterius, et quod per vnum eorum incoeptum, per alium finiri valeat* etc.

(*e*) vid. *c. 46. de elect. in 6. Poteſt pluribus committere vices ſuas, dum tamen eorum cuilibet*

 det

Aureae Bullae interpretationem reddidit, et disputationi ansam dedit, vtrum plures Legati, *in solidum* dati, coniunctis consiliis studiisque electionis negotium tractare possent, an vero *vnus* tantum secundum iuris Canonici sententiam? Quod in Caroli V. electione inprimis disputatum fuit; donec tandem Electores in mediam velut sententiam ingressi sint, vt singuli quidem et vniuersi, quae ratione futurae electionis instituuntur, *consultationibus* interessent, in ipso vero *solenniori electionis actu* vnus tantum, isque, qui principali dignitate fulget, Legatus suffragium ferret. Ad hanc sententiam iuris pontificii ratio, ne plurium vnius Electoris legatorum suffragia in diuersos dirigantur, satis quadrare videtur; eamque in Ferdinandi III. Leopoldi, Iosephi, Caroli VI. Impp. gloriosissimae memoriae electionibus seruatam deprehendimus (*f*).

§. VI.

det in solidum potestatem, et erit tunc melior conditto occupantis.

(*f*) Plura eam in rem obseruauit B. Parens *in iur. eccles. tom. I.* §. 48. et THVLEMARIVS *de Octoui-*

§. VI.

Quod ad ipſam electionem attinet, plurima eius *ſolennia* iuri Pontificio originem debent. Vti canones omnium electionum auſpicia, Spiritus Sancti gratia in ſolenni *Miſſa* implorata, facienda eſſe praecipiunt (*g*): ita prius, quam ad Imperatoris electionem deueniatur, in eccleſia S. Bartholomaei Apoſtoli, quae Francofurti eſt, *Miſſam de Sancto Spiritu* cantandam eſſe, Aurea Bulla decernit (*h*). Praecipit ideo, conuentum Electorum *diluculo* inſtituendum eſſe: cum Miſſam non niſi a ieiunis peragendam, canones permittant (*i*). Iſta ſolennitas non demum cum Aurea Bulla nata, ſed ante eam inualuit. In praelatorum electione cultum diuinum adhibere, et Spiritus Sancti gratiam, qua illae inprimis dirigi cenſebantur, implorare,

Octouiratu c. XXIV. §. 48. Conf. FABRI *Staats-Cantzley Tom.* XVIII. p. 459.

(*g*) *c. 14. et 18. X. de Electione et Electi pot.*

(*h*) *tit. II. §. 1.*

(*i*) *c. 16. C. VII. qu. 1.*

rare, olim solenne fuit: vnde praelati Spiritus sancti gratia eligi dicuntur. (*k*) Cum deinceps praecipuus cultus diuinus in Missa quaereretur: haec adhibita, et inter plures Missarum species illa, quae solennem Spiritus S. inuocationem complectitur, recepta est (*l*). Idem in *Imperatorum* electionibus obseruamus, in quibus olim Electores, pro felici consiliorum augurio preces ad Deum fundentes, Spiritus Sancti gratiam implorabant. De *Lotharii* electione, a. 1125. celebrata, id memoriae proditum est (*m*). *Conuenientes - - - omnes regni principes gratiam Sancti Spiritus, - - - per antiphonam, Veni Sancte Spiritus, inuocant.* Loco huius inuocationis tandem Missa de Sancto Spiritu cantari coepit; cuius mentio in Henrici VII. et Ludouici Bauari electione iniicitur (*n*), et ... quae

(*k*) *c. 14.* §. *de elect.*

(*l*) GONZALEZ *in Comment. ad Decretales*, tom. p. 274.

(*m*) vid. *Narratio incerti Auctoris de Electione Lotharii* apud HIERONYM. PEZIVM *scriptor. tom. I. p.* 570. et ECCARDVM *in veter. monument. quaternione n. II.* p. 46.

(*n*) vid. *Literae Electorum ad Papam* §. 3. apud LEIB-

quae tandem in Aurea Bulla imperata est.

§. VII.

Missa solenni in ornatu pontificali peracta, Electores aram accedentes, *iureiurando* fidem de Caesare digno patriaeque vtili eligendo sanciunt. Cuius formula talis est (*o*): *Ego N. princeps Elector iuro ad haec sancta Euangelia hic praesentialiter coram me posita; quod ego per fidem, qua Deo et sacro Imperio sum adstrictus, secundum omnem discretionem et intellectum meum cum Dei adiutorio eligere volo temporale caput populo Christiano, id est Regem Romanum in Caesarem promouendum, qui ad hoc existat idoneus, in quantum discretio*

LEIBNITIVM in *cod. iur. Gent. T. I.* p. 67. *In Electionis negotio memorato, audita Missa Sancti Spiritus, nos Archiepiscopus Moguntinus antedicta ipsa die - - - procedere cupientes.* Conf. *Tom. II. iur. Gent.* p. 252.

(*o*) vid. A. B. tit. II. §. III. Huic iurisiurandi formulae exacte respondet illa, quae in electione Maximiliani II. adhibita legitur in *Actis Electionis* apud HOFFMANNVM l. c. p. 394.

tio et sensus mei me dirigunt, et secundum fidem praedictam, vocemque meam et votum seu electionem praefatam dabo absque omni pacto, stipendio, pretio, vel promisso seu quocunque modo talia valeant adpellari. Eiusmodi *iurisiurandi*, in Electione Caesaris praestandi, ne vllum quidem vestigium ante Auream Bullam reperimus, nec quae extant Acta Electionum, quae minima saepe referre solent, eius mentionem iniiciunt (*p*). In *Pontificis Romani electione* istius iurisiurandi vsum animaduertimus, cum ex *concilii Lugdunensis*, anno CIↃCCXLV. celebrati, dispositione (*q*) Cardinales, pontificem electuri, fidem iuratam de electione secundum canones peragenda interponant. Tale iusiurandum etiam in episcoporum electione praestari solet (*r*). Quod igitur Aurea Bulla Electorum in eligendo Caesare fidem iuratam esse constituerit, ex

(*p*) conf. SPENERI *ius publ. lib. III. c. XXIV.* §. *19.*

(*q*) *in c. 46.* §. *3. de El. pot. in 6.*

(*r*) PASSERINVS *de electione Canonica c. XVIII, qu. II. n. 62.*

ex pontificia electione repetitum esse videtur.

§. VIII.

In Caesaris electione *solennis modus suffragia declarandi* adhibetur, qui *scrutinium* vocari solet. Eius formam solennem ita exponit *Aurea Bulla* (*s*): *Quibus omnibus, seu his, qui potuerint et voluerint interesse, in electionis termino inuicem congregatis, dictus Archiepiscopus Moguntinus, et non alter, eorumdem Coëlectorum suorum vota singulariter habebit inquirere ordine subsequenti: Primo quidem interrogabit a Treuirensi Archiepiscopo, cui primam vocem competere declaramus, sicut inuenimus competiisse. Secundo a Coloniensi Archiepiscopo*, et sic deinceps. *Horum omnium vota, praemisso iam ordine dictus Archiepiscopus Moguntinensis perquiret. Quo facto dicti principes, sui consortes, ipsum vice versa requirent, vt et ipse intentionem suam exprimat et ipsis aperiat votum*

(*s*) *tit. IV. §. III. et IV.*

tum suum. Haec dispositio respondet decreto Concilii Lateranensis, quo cautum (*t*), *vt cum electio fuerit celebranda, praesentibus omnibus, qui debent, et volunt et possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secrete et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi.* Quae hoc loco generatim disposita sunt, in Imperatoris electione curatius et specialius determinantur. Trita formula, *qui electioni potuerint et voluerint interesse*, desumta est ex electionum ecclesiasticarum praeceptis. Per illos, qui eligere potuerint, ius canonicum non illos tantum intelligit, quibus *ius eligendi* est, verum etiam qui nec ob *vitium aliquod canonicum* in illius iuris vsu impediuntur, v. c. qui nec suspensi, excommunicati, vel interdicti sunt. Neque aduersus haec quidem principia satis munitae fuerunt Imperatorum electiones, nouo indicio, quantum in his valuerit iuris canonici auctoritas. Vti enim

(*t*) in c. 42. X. de Elect.

enim olim in Reges Principesque excommunicationem vel interdictum cadere, clericorum artibus persuasi erant: ita, ne quid vitii caperet electio, cui, qui ob *occultam* vel eam, quam *ipso iure* irrogari censent, excommunicationem interesse non potuerant, interfuerunt: *cautelae* loco solennem *protestationem* interponere solebant, cuius hanc formulam in *Henrici VII.* electione anno CIↃCCCVIIII. pronunciatam legimus. (v) *Ego Balduinus Treuirensis Archiepiscopus praedictus in scriptis legi monitionem et Protestationem quandam vice mea et omnium, ius in ipsa electione habentium, monendo omnes excommunicatos, suspensos, ac etiam interdictos, nec non quoscunque alios, si qui forent forsitan inter eos, qui de iure vel consuetudine interesse in ipsius electionis negotio non deberent, quod a tractatibus electionis celebrandae et ab eadem electione recederent, me et alios libere eligere permittentes,*

(v) in *Decreto electionis* apud LEIBNITIVM in *Mantissa Cod. iur. Gent.* p. 253.

tes, protestans, quod non esset mea vel aliorum intentio, tales admittere tanquam ius in electione habentes, aut procedere vel eligere cum eisdem: imo volui, quod voces talium, si qui reperirentur postmodum interfuisse, nulli praestent suffragium, nec alicui afferant nocumentum, et prorsus pro non receptis siue pro non habitis habeantur. Quam protestationem nos omnes et singuli alii nostri Coëlectores ratam et gratam habentes et acceptantes consensimus in eandem. Eiusmodi Protestatione ideo sibi prospiciendum putabant, tum ne quid detrimenti ex suffragio excommunicati Electoris secundum *iuris Pontificii* principia caperet electio, (*w*) tum ne ceteri ex arctiori cum excommunicato consortio, prout ex iuris Canonici doctrinis credebatur, excommunicationem contraherent. (*x*) Similis protestationis formula in *Ludouici Bauari* electione anno cIↄcccxiv. interposita est. Sed rectio-

(*w*) *c. 39. X. de Electione* vid. GONZALEZ in *Comment. ad Decret. tom. I.* p. 336.

(*x*) *c. 13. 15. de sentent excommun. in 6.*

rectiora principia Electores, non nisi banno imperii subiectos, hodie a iure eligendi excludunt.

§. IX.

Scrutatoris officium Lex Imperii Moguntino Archiepiscopo defert (y), quem eo munere ante Auream Bullam ex *consensu* et *mandato* Coëlectorum functum deprehendimus, eadem omnino ratione, qua in *Praelatorum electionibus* Scrutatoris sparta nonnullis ex collegio per suffragia maiora deferri solet. (z) Istam prouinciam in *Ludouici Bauari* collectione Petrus, Moguntinus Elector, ex speciali *mandato* Coëlectorum susceperat. Cuius mentionem faciunt Electores in epistola ad Papam: (a) *Votis nostris per dominum Moguntinum antedictum vice sua et nostra et ex speciali mandato nostro et suo diligenter inquisitis.* Quod igitur antea ex Mandato Ele-

(y) vid. *A. B. tit. IV.* §. 3.

(z) *c.* 42. *X. de Elect.*

(a) apud LEIBNITIVM *l. c. tom. I. N. XXXVI.* §. 4. p. 68.

Electorum pendebat, Electori Moguntino *iure perpetuo* in Aurea Bulla adſcriptum eſt. Quo ordine Praeſul Moguntinus ceterorum Electorum ſuffragia recipiat, et quomodo deinceps ipſius Scrutatoris Electoris ſuffragium a reliquis ſit recipiendum, definit Aurea Bulla, (*b*) ſeruato more in *Praelatorum electionibus* recepto. Vtrum ſuffragia *ſecrete* an *palam* ſint declaranda, Sanctio Imperii non conſtituit. Vnde non perpetua eius rei obſeruantia in Imperatoris electione olim et hodienum obtinuit: ſicut et in epiſcoporum electione varia eſſe ſolet ſcrutinii ratio. Hodie quidem ſinguli Electores ad Archiepiſcopi Moguntini interrogationes in auguſto Senatu viua voce ſuffragia edunt. In ALBERTI II. electione id ſingulare occurrit, quod Electores *viua* quidem voce, non autem in *omnium praeſentia*, ſed ſinguli *ſecrete* et *ſeparatim* coram Archiepiſcopo Moguntino, adſcitisque aliis teſtibus et notariis, ſententiam explicuerint. Quem modum inſtrumentum

(*b*) *tit. IV.* §. *III. et IV.*

tum electionis Albertinae hoc modo exponit. (c) *Praefatus Dominus Moguntinus, cui virtute sacrarum imperialium legum Coëlectorum suorum vota inquirendi ius competere dignoscitur, ad Meridionalem partem chori eiusdem ecclesiae, videlicet capellam bibliothecae, se trahens, a praefato domino Rabano Archiepiscopo Treuirensi primo ad eamdem capellam honorifice arcessito -- vocem et votum est scrutatus. Qui quidem dominus Treuirensis sic requisitus in praefatorum testium --- ac nostrorum notariorum praesentia in vim sacramenti sui, pridem desuper praestiti, inuictissimum Principem et Dominum, Dominum Albertum, Regem Vngariae Electum Bohemiae et Ducem Austriae, in Romanum Regem, promouendum in Caesarem, in Dei nomine nominauit, et, quantum in se fuit, elegit. Deinde eodem domino Treuirensi ab isto loco discedente et ad Chorum redeunte. Domino Coloniensi similiter honorifice vocato,*

(c) vid. IO. IOACH. MVLLERI *Reichs-Tags Theatrum*, P. I. c. 1. §. 2. p. 2.

vocato, et per praefatum Dominum Moguntinum Voto suo scrutato, in dictorum octo, qui cum eodem Domino Moguntino affuerunt -- praesentia, in vim sacramenti sui praestiti nominavit, et quantum in se fuit, elegit in Regem Romanorum dominum Albertum. Cum deinceps et ceteri Electores sententiam suam eodem modo sigillatim dixissent; tandem omnes Electores, *inuicem iuncti, singuli cum suis, prout praenominati sunt, proceribus* (*d*) *dictum dominum Moguntinum accedentes, vt in electione huiusmodi votum diceret, per dicti domini Treuirensis organon petierunt: qui etiam in vim sacramenti sui praestiti in eorumdem dominorum nostrorum, Principum, Comitum, Praelatorum, Baronum, et aliorum praefatorum testium omnium ac nostrorum notario-*

(*d*) Id quoque in hac electione singulare occurrit, quod cum alioquin Electorum *ministri*, et quos secum ducunt, *Consiliarii* ab ipso *solenniori electionis actu* recedere soleant, eique *soli Electores* intersint, hoc loco tamen singuli electores in *Procerum Aulae* praesentia sententiam exposuerint.

notariorum praesentia saepe fatum dominum Regem Albertum in Romanorum Regem et Principem in Dei nomine nominauit, et, quantum in se fuit, elegit: et tandem iisdem Dominis instantibus aperuit vota singulorum. Suffragiis nimirum singulorum expositis, Elector Moguntinus *scrutatoris* iure, omnium vel plurium Electorum sententiis electum publice declarat et solenne illud, *Eligo*, pronunciat: id enim in praelatorum electione *scrutatorum* ius est, suffragia promulgare, et ita electioni colophonem imponere (*e*).

§. X.

Quae vero in Praelatorum, eadem in *Regis Romanorum* Electione est vis scrutinii, vt pro *electo* habeatur, in quem maior Electorum pars consentit. Qua de re ita cauet A. B. *Postquam autem in eodem loco ipsi, vel pars eorum maior numero elegerit; talis electio perinde haberi et reputari debebit, ac si foret ab ipsis omnibus, nemine discre-*

(*e*) *c. 42. X. de Elect. et Elect. pot.*

quartum deſignauerant decanum, atque hic in electionem, de ſe factam, conſenſerat. (*h*) *Cum vnus*, inquit, *ex illis ſeptem a tribus ipſorum, et alius, qui non erat de numero eorumdem, a tribus aliis in Decanum fuerint nominati, a nobis tua fraternitas requiſiuit, vter eorum aſſumi debeat a Capitulo in Decanum. Super quo taliter reſpondemus, quod is qui de numero ſeptem a tribus eorum dignoſcitur nominatus iuxta compromiſſi tenorem debet in Decanum aſſumi, dummodo electioni de ſe factae conſentiat.* Ius pontificium igitur tum in *ſpecie* propoſita et in relato *numero ſeptem* electorum, tum in ipſa *deciſione* conſpirat. Quamuis vero ſui ipſius ſuffragium in ſpeciali tantum caſu, quo aequalia vtriusque candidati ſuffragia adſunt, adprobatum eſſe videatur: tamen cum neque Lex publica neque ratio aliqua in aliis caſibus hanc *ſuffragiorum libertatem* conſtringat; eadem diſpoſitio vi inter-

(*h*) *c.* 33. *X. de Electione et Elect. pot.*

interpretationis, ipſo *vſu* et *obſeruantia* probatae, ad omnes caſus prolata eſt, (*i*) vt quilibet Elector ſine diſcrimine ſuis ſibimet ipſi ſuffragiis fauere poſſit.

§. XI.

Nihil de *inſtrumentis*, quae ſuper electione Caeſarea coram *notariis* ſolenni ratione conficiuntur, diſponit Aurea Bulla; nullumque eorum veſtigium ante ſeculum XII. reperimus: quamquamquam ſequioris aeui vſus et obſeruantia illa introduxerit. Elegans eſt CAROLI IACOBI SPENERI coniectura, (*k*) illa eo demum tempore inualuiſſe, quo Pontifices *diſcordium* electionum diſcuſſiones ad ſe trahere et Imperatorum electorum *confirmationes* ſibi arrogare nihil dubitarunt. (*l*) Quod quibus artibus factum, et quam indulgen-

(*i*) Conf. LVDEWIG *in Comm. ad A. B. tom. I.* p. 408. et IO. LIMNAEVS *in iur. publ. lib. II. c. III. n. 81.*

(*k*) in iure publ. lib. IV. cap. II. §. XIX. p. 520.

(*l*) Haec principia fouerunt INNOCENTIVS PP. III. in *c. 34. X. de Elect.* et in *Regi-ſtro*

gentiores et iusto remissiores in imperii iuribus, aduersus Aulae Romanae tentamina defendendis, imperatores nonnumquam fuerint, nihil iam attinet dicere. Id inde inualuit, quod Principes Electores electionis rite peractae fidem pontifici facere inceperint, transmissis *actis et documentis*, coram *notariis* rite confectis: siquidem hoc in praelatorum electione obseruari solebat, vt vbi superioris *confirmatio* vel eius in discordi electione *cognitio* requirebatur, acta omniaque electionis monumenta cum Superiore communicarentur, quo is, examinato electionis negotio, de eo statueret. (*m*) Accessit illud, quod pari ratione olim incognitum ac

stro de Negotio imperii tom. I. Epistolarum a BALVZIO editarum p. 686. nec non VRBANVS *PP. IV.* in controuersia electionis inter Alphonsum et Richardum apud LEIBNITIVM in *Prodr. Cod. iur. Gent.* N. XIV. p. 14. qui per *appellationem* vel *querelam* caussam electionis ad se deferri posse, contradicentibus tot Germaniae principibus, statuit.

(*m*) *c. 9. C. II. q. 1. c. 13. C. VII. qu. 1. c. 20. X. de Elect.*

inauditum fuerat, quod Pontifex seculo XIII. *solennia* Imperatoriae coronationis sine aliqua caussae *cognitione* et sine electionis examine peragere denegaret, caussam interferens inidoneam et ficulneam, *quasi ad eum examinatio personae pertineret, ad quem impositio manus spectaret.* (*n*) Quae omnia cautos reddiderunt Imperii Principes, vt, ne quid esset, quod electioni obiiceretur, in ipsa electione et scrutinio adhiberent *notarios*, ac instrumenta ab iis confecta ad Pontificem transmitterent. De *Henrici* VII. electione Clementem PP. V. certiorem reddebant Electores, misso electionis decreto, hac addita caussa: (*o*) *Ceterum vt beatitudo vestra cognoscat euidentius, vota nostrum omnium in praedictis omnibus et singulis concordasse, ac in petitione huiusmodi* (de consecratione peragenda), *existere vnanimes et concordes, praesens electionis nostrae decretum sanctitati vestrae*

(*n*) *c. 34. X. de Elect.*

(*o*) apud LEIBNITIVM *in Mantiss. cod. iur. Gent.* p. 254.

ſtrae transmiſimus cum ſigillorum noſtrorum appenſione, ex certa noſtra ſcientia roboratum; quod etiam ad maiorem horum certitudinem per manum Henrici Lobruoch clerici Notarii infra ſcripti in hanc publicam formam redigi fecimus et conſcribi. Hic mos, exploſis principiis, quibus inualuit, non perdurauit: eiusque loco non niſi *ſignificatio electionis* facta eſt Pontifici, intuitu functionis, in Rege Romanorum inaugurando praeſtandae. In prima poſt A. B. celebrata electione, cum a. 1376. WENCESLAVS Rex Romanorum deſignaretur, *Wenceslaus*, Elector Saxoniae, ſuo et CoElectorum nomine, *Gregorio XI.* epiſtola ſignificauit totam electionis rationem, (*p*) rogans pontificem: *quatenus dictum Dominum noſtrum Wentzlaum, in Romanorum Regem concorditer ſic electum, in*

(*p*) Haec epiſtola non habetur in actis *Leibnitianis Mantiſſae Codicis diplom. p.* 260. ſed edita eſt a BVRCH. GOTTH. STRVVIO *im hiſtoriſchen Archiv P. I. p.* 20.

in Imperatorem promouendum paternis affectibus benignius amplexantes, Regem Romanorum nominare, eiusque personam ad apicem tantae dignitatis idoneam reputare nec non eidem munus Consecrationis ac diadema sacri Imperii, loco et tempore oportunis, per vestras beatitudinis sanctas manus conferre dignemini, prout exstat ab olim fieri solitum et consuetum.

§. XII.

Si quid vero iuris Canonici disciplinam magis redolet, est profecto illa Aureae Bullae sanctio, qua, prout tunc erant tempora, constitutum est, vt si Electores intra XXX. dies, a *die iurisiurandi* in *electione* praestiti numerandos, Imperatorem eligere distulerint, exacto eo tempore *panem manducarent et aquam biberent.* (q) Abstinentia et ieiunium inter poenas ecclesiasticas olim relatum esse, eamque *poenitentiam* illis, qui aduersus leges, ecclesiasticas prae-

(q) vid. AVREA BVLLA *tit. II.* §. 3.

praesertim et diuinas, peccauerant, imperatam esse, antiquitates legesque ecclesiasticae satis superque testantur. (r) *Concilium Lugdunense Generale* hoc poenitentiae genus *Cardinalibus* minatur, intra statuta tempora Pontificem non eligentibus. (s) *Si intra tres dies postquam conclaue iidem Cardinales intrauerint, non fuerit ipsi ecclesiae de pastore prouisum: per spatium quinque dierum immediate sequentium, singulis diebus, tam in prandio quam in coena, vno solo ferculo sint contenti; quibus prouisione non facta decursis, ex tunc tantummodo panis, vinum, aqua ministrentur eisdem, donec eadem prouisio subsequatur.* Quae cum ita sese habuerint in *Pontificis*, velut supremi *Ecclesiae* capitis, electione: similis poenitentia, in lautiorum alimentorum detractione, ad *Imperatoris*, velut supremi et secularis *Christiani*


(r) *c.* 5. *D. LXXXII. c.* 2. *X. de sponsa duorum* IO. MORINVS *de administr. sacram. poenitent. lib. VII. c.* 9.

(s) *c.* 3. §. 1. *de Electione in* 6.

ni orbis capitis, electionem argumento parum idoneo improuidisque consiliis producta est. Quae quidem omnia cum peruerso illius aeui genio conueniunt, quo summae maiestatis iura ab ecclesia varie imminuta, regesque ac principes excommunicationi et poenitentiis subiectos legimus. Quid mirum ergo, si *ieiunii* seu *Carenae* poenitentiam Electoribus indictam, ex eius aeui principiis deprehendimus? Videlicet cum in adeo solennni electionis Caesareae forma praescribenda Aureae Bullae compilator oculum in ecclesiasticis electionibus defixum habuerit, et adeo arduo negotio, quod vix temporum limitibus circumscribi poterat, stata tempora praefixerit; in praelatorum electione vero varias *termini electionis non obseruati* poenas statutas deprehenderit: de his quoque in Caesarea electione constituendis cogitauit. Poena deuolutionis, seu iuris eligendi ad Superiorem transferendi, cui praelatorum inferiorum electio, iusto diutius protracta, obnoxia est, ad Imperatoris electionem, de qua non ni-

si

ſi Deo rationes reddere tenentur electores, nulla omnino ratione quadrare videbatur. Itaque exemplum poenae a Pontificis electione deſumtum eſt, vt quae in Capitis Eccleſiae, eadem in orbis Chriſtiani Imperantis electione pro iis, quae tunc de *Chriſtiana republica vniuerſali* erant, principiis locum haberent. Sed has ſupremae Electorum dignitati parum congruas doctrinas, ipſo vſu et obſeruantia deſtitui nemo non intelligit.



OBSERVATIO IV
DE
ORIGINE IVRISDICTIONIS ECCLESIASTICAE IN CAVSIS TESTAMENTARIIS.

ARGVMENTVM

§. I. *Causae testamentariae iurisdictioni ecclesiasticae statutariae et iudiciariae medio aeuo subiectae.*

II. *Iura circa testamenta, clericos et caussas pias respicientia, constitutionibus Imperatorum definita: eorum executio data Episcopis.*

III. *Eorum executio et cognitio de illis suscepta ab episcopis, exemplo Gregorii M.*

IV. *et quidem ex norma legum ciuilium, seruata tamen interpretatione per aequitatem.*

V. *Modus testandi minus solennis ex iure Theodosiano receptus in Gallia maxime in Testamentis ad pias caussas.*

§. VI. *Idem inualuit in Italia inprimis sub Alexandro III.*

VII. *Sec. XII. iurisdictio ecclesiastica producta ad omnia testamenta.*

VIII. *Promota per superstitiosam seculi opinionem de vi dispositionis piae in tuenda animae salute.*

IX. *In Gallia mox sublata est in caussis testamentariis. Quatenus inualuerit in Germania?*

X. *Restricta est in Belgio. Hodienum seruata est in Anglia.*

§. I.

§. I.

Cum iurisdictio ecclesiastica, quaqua patet ex vsu iuris Canonici, complectatur omnem *potestatem ecclesiasticam*, tum statuendi de caussis ecclesiae subiectis, tum *ius dicendi* de iisdem; ad vtramque animum conuerto, dum *caussas testamentarias*, hoc est, quamcunque *vltimae voluntatis* speciem concernentes, vel sub *potestatem ecclesiasticam statutariam* vocatas vel *foro ecclesiastico* subiectas esse, ex vsu medii aeui perpendo. Id quidem ita euenisse, mirum omnino et singulare videtur in genere caussarum *mere ciuilium*, cultum religiosum nulla ratione respicientium, *seculari potestati* non minus subiectarum ac aliae caussae omnes, quae dispositionem de propriis bonis concernunt. Itaque eius rei origines exponere, nec iniucundum nec inopportunum videtur.

§. II.

In republica, in qua *nata* sunt *iura testamentorum*, totque *Imperatorum* san-

ſanctionibus vsque ad tempora IVSTINIANI diligenter exculta, fruſtra quaeſiueris iuris alicuius in cauſis teſtamentorum *ab eccleſia* vel tentati veſtigium. Iura omnia quae et *eccleſiae* et *clericorum* commoda circa acquiſitionem ex teſtamento vel teſtamenti factionem concernunt, *imperiali auctoritate* definita ſunt. Primus CONSTANTINVS M. poſtquam ſacra chriſtianorum in ſuam libertatem aſſeruerat, iisdem liberaliter conſuluit, propoſitis edictis, quibus hereditates et legata *eccleſiis* relinqui poſſe permiſſum eſt: (*a*) quod non licuerat ante Imperatorem, quo *collegium Chriſtianorum* Romano tunc iure *illicitum* habebatur. Notae ſunt poſteriores Imperatorum Conſtitutiones maxime vero IVSTINIANI, quibus *epiſcopis* de his, quae *poſt epiſcopatum* acquiſiuerant, *teſtandi facultatem* ex eccleſiae commodo negauit, (*b*) *presbyteris diaconis* ceterisque

(*a*) *L. 1. C. de SS. Eccleſ.* Vid. FRANC. BALDVINVM *de legibus Conſtantini M.* in *tomo. I. Iurisprud. Romano Atticae p. 581.*

(*b*) *L. 42. §. 2. C. de Epiſc. et Cleric.* NOV. *CXXXI.*

terisque inferioribus clericis dedit et confirmauit, (c) *monachisque* et *monialibus* testamentifactionem, quae illis hactenus integra fuerat, (d) primus ademit. (e) Illud inprimis monere operae pretium est, Imperatorem cum legatis ad *causas pias*, prout par est in causis ad cultum diuinum promouendum et ad indigentiam proximi subleuandam pertinentibus, impense fauebat, non modo causam *eorundem exequendorum* popularem esse voluisse, sed etiam episcopos *executores* eorumdem et perpetuos custodes et obseruatores constituisse, hisque dedisse *in mandatis*, vt de iis secundum voluntatem testatoris adimplendis officium interponerent, eorumdemque *administrationi*, per alios ex fide obeundae, diligenter inuigilarent, et hanc functionem, tamquam *imperiali auctoritate* demandatam, obirent, etiamsi

CXXXI. c. 13. Auth. *Licentiam C. de Episc. et Cler.*

(c) NOV. *CXXIII. c. 19.*

(d) *L. 13. C. de SS. Ecclesiis.*

(e) NOV. *V. c. 5.* NOV. *LXXVI. c. 1.*

iamsi ab ea illos *exclusos* voluerit *testator*; neque in ea re quidquam officii negligerent, alioquin *motum Imperialem* sint experturi (*f*).

§. III.

Si quid recte coniicio, istae *officii episcopalis* partes, lege Iustiniani constitutae, *rudimenta* et *incunabula* sunt potestatis, qua primum totam causam testamentorum, quoad *ecclesiam* et *pias causas* concernit, sibi *propriam* reddiderunt episcopi: exemplo reliquorum iurium episcopalium, quae vel *ab ecclesia* delata, vel ex *imperantium indulgentia* commissa, seculorum vsu et obseruantia illis *propria* effecta sunt. Quaecunque IVSTINIANVS de testamentis ratione ecclesiae et personarum ecclesiasticarum constituerat, horum *cura*, *executione* et *cognitione* eodem *seculo VI. et VII.* ex auctoritate imperiali defuncti sunt episcopi. Eius rei exempla obuia

sunt

(*f*) *L. 46. §. 6. C. de Episc. et Clericis. L. 28. 49. c. eod.* NOV. *CXXXI. c. 11.*

ſunt in geſtis *Gregorii M.* Patriarchae Romani, ſub Mauritio et Phoca Imperatoribus florentis. Quod cauerat *Imperator*, ne vel *epiſcopi* de acquiſitis ſub epiſcopatu, vel *monachi* et *moniales* poſt ingreſſum in monaſterium teſtarentur, idem *prohibente ita lege* fieri non poſſe, iudicauit *Gregorius* (*g*). Legatorum ad *pias cauſas* cuſtodem et executorem egit ſolertiſſimum, et vt epiſcopi per patriarchatum id efficerent, curauit. (*h*) *Ianuarium*, Caralitanum Sardiniae epiſcopum, monet, vt tota *legum* vteretur *auctoritate* ad vrgendam executionem vltimarum voluntatum eorum, qui ſua monaſteriis fundandis bona teſtamento legaſſent. *Solerter*, inquit, *ſecundum quod leges praecipiunt*, *admonere te volumus*, *ne piae viuorum aut defunctorum voluntates tua*, *quod abſit*, *remiſſione caſſentur.* (*i*) Cum

(*g*) *Gregorii M. epiſtol. lib. V. ep. I. tom. II. oper.* edit. Antwerp. *p. 161. Lib. VII. ep. VII.* ibid. p. 247. ex qua deſumtus eſt c. 7. C. 19. qu. 3. et *c. 2. X. de teſtamentis. Lib. VII. epiſt. LIII.* ex qua deſumtum eſt *c. 1. X. de teſtamentis.*

(*h*) *Gregorii epiſt. Lib. VIII. ep. VI. p. 317.*

(*i*) Cum conſtituiſſet IVSTINIANVS, vt ſi *heres* vltimam defuncti voluntatem intuitu piae cauſae adimplere vltra annum differet, id *epiſcopi* auctoritate efficeretur: eundem epiſcopum in propoſito exemplo admonet, vt *ſecundum piiſſimas leges dilatas defunctorum pias voluntates epiſcopali ſuppleret ſtudio* (*k*). Cognitorem et arbitrum egit *Gregorius* in variis difficultatibus, ex teſtamentis ad pias cauſas emergentibus, non ſtrictum ius vbique ſed aequitatem ſecutus. Ex facto emerſerat duplex quaeſtio, altera de legato *rei alienae*, pro obtinendo loco ſepulturae, *eccleſiae* relictae, altera de tabula aurea, quae propria fuerat teſtatoris, eodem fine legata; quorum praeſtatio heredes filios onerabat, eo quod ex hereditariis bonis vix quidquam ſupereſſet, ex quo filii caperent ſuſtentationem. Non ignorabat Gregorius *ſanctiones iuris* in legato rei alienae: quas ſuccincte ipſe recenſet.

Quid

(*i*) *Gregorii epiſt. lib. III. ep. IX.* p. 102.
(*k*) *Gregorii epiſt. lib. III. ep. X. p. 103.* ex qua depromtum eſt c. 3. *X. de teſtamentis.*

Quid de hac re, inquit, (*l*) *seculi leges habeant*, *et ipsi nostis*, *et nos audiuimus*, *quia heres ad soluendum cogitur*, *si auctor eius vel testator aliena legauerit.* Sed *aequum* non censuit Gregorius, ecclesiam *causa sepulturae* lucrum captare, et filium heredem *egere*. Itaque non lege seculi, sed lege Dei seu charitatis lege hanc causam dirimendam esse arbitratus, *contra ecclesiam* in vtroque legato respondit, de altero haec addens: *tabulam vero auream*, *quam praedictus vir moriens pariter reliquit*, *considerare*, *vt arbitror*, *debuistis*, *quae esset Summa eius substantiae*, *si quid esset*, *vnde hi*, *quos reliquerat*, *sustentari debuissent: et tunc pro sepultura eius accipere*, *cum secundum nostrum institutum noueris nos illicitam antiquam consuetudinem a nostra ecclesia omnino vetuisse*, *nec cuiquam assensum*

(*l*) *Gregor. Lib. VII. epist. IV. p.* 225. ex qua excerptum est *c.* 5. *X. de testamentis:* cuius interpretatio, cognitis ex integra Gregorii epistola circumstantiis, non difficilis est. Eamdem dat LVD. THOMASSINVS *de Vet. et nou. eccl. discipl. Part. III. lib. I. c.* 20. §. 7.

sum praebere, vt loca humani corporis pretio possint adipisci.

§. IV.

Nondum eo aeuo de caussis testamentorum, ecclesiam respicientibus, *auctoritate propria* quidquam constituerunt *episcopi*, normam secuti *legum ciuilium*, vt par erat in exequendo officio: idque ipsi profitentur. Iura testamentorum aestimata sunt ex *iure Romano*: quamquam ex *eius interpretatione* parum adaequata inualuisse videatur opinio, eidem aduersa. Iam eo tempore regnasse videtur opinio, legata ad *pias caussas* non indigere *iuris solennitate*, et quomodocunque declarata valere: cui rei locum fecerunt verba Iustiniani (*m*) vt *si quis moriens piam fecerit dispositionem*, *episcopus curam ageret*, *vt impleantur*, *quae ipse voluit*, *necessitatemque haberent heredes*, *id quod ordinatum*

(*m*) *L. 46. pr. C. de Episc. et Cleric.* *Obligationem heredum* ad legata pia praestanda tantum sancit et confirmat imperator; modum vero, eadem relinquendi, *legitimum* esse vult.

natum est, facere et adimplere omnimodo. In ea sententia haesisse *Gregorium*, intelligitur ex eius epistolis, quibus legatum *nudis verbis* relictum praestandum esse curauit. *Cognoui*, inquit, (*n*) *Romano referente, quia moriens mulier Redemti vnam concham argenteam nudis verbis dixerit venundari et libertis suis tradi; scutellam quoque argenteam monasterio eiusdem reliquerit: in quibus vtrisque voluntatem eius per omnia volumus impleri.* Magnae auctoritatis etiam *post fata Gregorii* fuerunt eius epistolae. Quae ex iisdem recensuimus, euilescente iuris Romani in Italia vsu, *decretalium* censu haberi coeperunt. Qui harum collectionem sec. XII. primus adornauit BERNARDVS, *Papiensis Praepositus*, sententias Gregorianas titulo *de testamentis* inter decretales collocauit. *o*)

V.

(*n*) *Gregorii M. epist. lib. XII. ep. 30. p. 463.*
(*o*) ANT. AVGVSTINVS in *antiquis Decretalium collectionibus p. 70.* f.

§. V.

Viguit in Gallia non iuris *Iustinianei* sed iuris *Theodosiani* auctoritas. Obseruandum vero, ex lege THEODOSII et VALENTINIANI (*p*) valuisse testamenta *holographa*, *nullo testium numero* vallata, sola *testatoris* manu propria praescribentis fide munita; nec desideratum esse *legitimum testium numerum*, nisi et ipse testator elegerit testium praesentiam. Inter *Romanos*, vetustos Galliarum incolas, obtinuit is minus solenniter testandi modus. (*q*) Vtrum *ad Francos* transierit, non apparet. *Clericis*

(*p*) Haec est inter Nouellas THEODOSII et VALENTINIANI lib. II. tit. IV. de a. 446. in supplemento *Codicis Theodosiani tom. VI.* edit. Ritter. p. 110. *Si holographa manu testamenta condantur, testes necessarios non putamus. Scripto enim taliter sufficiet heredi afferere etiam* SINE TESTIBVS *fidem rerum.*

(*q*) Novella Theodosii adiunctam habet *Gothicam interpretationem*, in gratiam *Romanorum* in Galliis scriptam: ex qua de eius vsu apparet. Breuiter mentem novellae sic exprimit: *ut si cui fuerit testandi voluntas et testes forsitan defuerint; voluntatem suam propria manu perscribat. quae prolata post defuncti obitum plenam obtineat firmitatem.*

ricis tamen in votis fuiſſe videtur, vt *piae diſpoſitiones* hoc iure aeſtimarentur: idque locum dedit canonibus teſtamentariis, iam ſeculo VI. in Gallia conditis; cuiusmodi ſunt canones *concilii Lugdunenſis II.* de anno 567. (r) *Quia multae tergiuerſationes infidelium quaerunt collatis priuare donariis, id conuenit inuiolabiliter obſeruari, vt teſtamenta, quae epiſcopi preſbyteri ſeu inferioris ordinis clerici, vel donationes aut quaecunque inſtrumenta propria voluntate confecerint, quibus aliquid eccleſiae aut quibuscunque conferre videantur, omni ſtabilitate conſiſtant. Id ſperaliter ſtatuentes, vt etiamſi quorumcunque religioſorum voluntas aut neceſſitate aut ſimplicitate aliquid a ſecularium legum ordine videatur diſcrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcuſſa manere et in omnibus Deo propitio cuſtodiri.* Certe quod habet *conſtitutio Theodoſiana*, id etiam *inter Francos* maxime

(r) Canones huius concilii exhibet CAROLVS LE COINTE in *Annalibus Eccleſiaſt. Francorum tom. II. p. 86.*

maxime in ecclesia in vsum deduxerunt concilii partes: et *minus solennis testandi ratio* per Gallias generatim inualuit. Creuit inde et late patuit vsus piarum dispositionum per Gallias, et vt fere fieri solet, adeo in abusum degenerauit, vt opus fuerit *legibus secularibus* Caroli M. et sequentium Imperatorum, (*s*) ad coercendos auaritiae magis quam ecclesiae ministros, qui per cuniculos adrepunt secularibus viris, eosdem sollicitantes ad res suas ecclesiae legandas.

§. VI.

Quidquid iuris itaque circa testamenta episcopis datum est ante sec. X, id omne pertinet ad dispositiones vel ad *pias causas*, vel a *clericis* conditas. Nec mirum est, *in Italia* in testamentis ad pias causas, siue quod ex sententia *Gregorii M.* siue quod ex *vicinis moribus Galliae* aestimarentur, solennitatis nihil desideratum esse, libris iuris Romani circa

(*s*) Constitutiones recenset LUDOVICUS THOMASSINUS l. c. P. III. lib. 1. c. 22.

circa illud tempus in Italia adhuc delitescentibus, et iure Romano non nisi ex vsu seruato et aestimato. Renascentibus iurisprudentiae Romanae studiis sec. XII. iis videtur *his testamentis* mota esse *ex iure Romano*, idque locum fecisse epistolis decretalibus ALEXANDRI III. de a. 1170. in *c. 10. et 11. X. de Testamentis*, in quarum *altera* dispositionem vltimae voluntatis in gratiam *ecclesiae* factam duorum vel trium testium fidei inniti, in *altera* parochianorum testamenta coram parocho et duobus vel tribus testibus condita rata esse respondit. Obseruari meretur, *Alexandrum III.* non in nouo iure constituendo ibi versari, sed de *iure constituto* respondere. Sunt enim epistolae ad *Suffraganeum episcopum* Velitrensem et Hostiensem directae, (*t*) quibus ad eius interro-

(*t*) *Vellitra*, perantiquum Volcorum oppidum, proprios habuit episcopos, Pontificis Romani suffraganeos. Inde a temporibus Eugenii III. sedes episcopalis Vellitrensis vnita fuit cum Hostiensi, ceu refert VGHELLIVS *tom. I. Italiae sacrae p. 58. et* GONZALEZ in *Comment. ad Decret. tom. III. p. 482.*

interrogationem in specie proposita responsurus tum ad *generalem ecclesiae consuetudinem* sese refert, tum ad canones, quorum quidem nulli in Italia extant, nisi forte sententias Gregorii M. quibus legata *nudis verbis* relicta valere existimauerat, *canonum* iure habere voluerit. Sed et hae epistolae paulo post *primae Decretalium collectioni insertae*, quam ex Alexandri III. constitutionibus et epistolis maximam partem adornauerat Bernhardus Papiensis, vim et auctoritatem *decretalium* obtinuerunt.

§. VII.

Incidimus in tempora, quibus caussae testamentariae omnes *iurisdictioni ecclesiasticae* vindicatae sunt, episcopis inde a sec. XII. maxime per Galliam et Angliam ius et auctoritatem sibi sumentibus, tum de *testamentis* eorumque forma ordinandi, tum de *litibus testamentariis* cognoscendi. Inter tanta incrementa, quae hoc aeuo coepit iurisdictio episcopalis, caussas testamentarias ad eamdem reuocare non difficile fuit.

Colo-

Colorem praeſtabat *executionis* officium, a tuendis piis diſpoſitionibus productum ad *omnia teſtamenta*, et in ius poteſtatis et iurisdictionis translatum. Hoc *executionis* titulo iura circa teſtamenta ſibi aſſeruerunt Epiſcopi. Executionem eorum ſibi deberi, profitentur in conſtitutionibus ſynodalibus. (*v*) Haec in legem abierat, ita vt vnumquodque teſtamentum poſt teſtatoris mortem ipſis fuerit praeſentandum. Eamdem vel *ipſi* obibant, vel alios conſtituebant *executores*, iureiurando obſtrictos, ſibi ad rationes reddendas obnoxios; vel ſi nominati *in teſtamento* erant executores, hos non prius exequendi poteſtate defungi patiebantur, quam *ab epiſcopo* fuerint approbati; nec prius probabantur, quam ea in re *iurisdictio-* ni

(*v*) Ad executionis officium prouocat Archiepiſcopus Burdegalenſis in concilio Ruffecenſi a. 1259. can. 7. apud Harduinum tom. VII. concil. p. 501. *Cum ad epiſcopum ſpectet officium, vt extremae legitimae voluntates fidelium effectui mancipentur.* Eiusdem tenoris eſt concilium Lambethenſe a. 1261. in DAVID. WILCKIVS *Concil. Magnae Britaniae tom. I. p.* 754.

ni ecclesiasticae se subiecissent. (*x*) *Heredum* locum obibant *executores*, *defuncti personam* sustinentes in debitis legatisque soluendis, ceteris bonis in pios vsus conuertendis. (*y*) Idque sec. XIII. in Gallia et Anglia vsu et consuetudine in commune ius abierat. Accessit noua et ecclesiastica forma, *testamenta*, perinde ac *matrimonia*, coram *parocho* celebrandi et conficiendi; qua interueniente, *testamentum* videbatur rationem habere *actus parochialis*. Praeceptum est constitutionibus synodalibus, vt *coram parocho* conderentur testamenta: et prohibitum passim, ne fierent *fine*

(*x*) Concilium Londinense a. 1268. can. XIV. apud DAV. WILKINS l. c. tom. II. p. 8. *Super testamentorum executione duximus statuendum, vt executor testamenti cuiuslibet ad executionem nullatenus admittatur, neque testamentum eorum ordinario secundum approbatam consuetudinem praesentatum, per ipsum aliquatenus approbetur, nisi prius quoad hunc actum sui fori priuilegio coram eo expresse renunciet executor.*

(*y*) Iura et obligationes executorum amplissime definiuntur in Concilio Exoniensi a. 1287. cap. 50. apud DAV. WILKINS l. c. *tom. II. p.* 156. 157.

ne praesentia sacerdotis. (z) Tuendae iurisdictionis causa, opera data est, vt si quae ex eo controuersia nasceretur, eius rei iudicium *solius episcopi* esset. (a)

§. VIII.

Promouendae *iurisdictioni ecclesiasticae* in hoc causarum genere vehementer inseruiit persuasio, quae per ista secula coepit homines, *animae saluti consulendum* esse necessario per dispositionem in fauorem *ecclesiae* aliusue *causae piae* faciendam: inde tum *parochorum* esse, hanc curam animae admonendo et cohortando dirigere, tum *episcoporum*, eidem inuigilare: *periclitari salutem* hominis, ab intestato morientis piamque causam negligentis, hunc enim *animae salutem* neglexisse videri: animae eius consulendum esse ab *heredibus ab intestato*, partemque bonornm in hereditatis diuisione esse *piis vsibus* relinquendam.

(z) Amplum recensum constitutionum synodalium Galliae et Angliae de hoc argumento exhibet LVD. THOMASSINVS *de vet. et noua eccl. discipl. P. III. lib. I. cap. XXIV.*

(a) THOMASSINVS *l. c. cap. XXIV.* §. 5.

dam. (*b*) Obſeruat ANTONINVS MORNACIVS, (*c*) *quod olim ſacerdotes mortuos inteſtatos non aliter in ſepulcrum inferre permiſiſſent, quam de ſuis ſuppoſuiſſent aliquem, qui iure defuncti teſtaretur, et quidpiam eccleſiae aut pio loco relinqueret.*

LV-

(*b*) Obligationem teſtandi et piae cauſa proſpiciendi fere impoſitam eſſe, patet ex eis, quae de his, qui *inteſtati* decederent, acta ſunt in conciliis. De bonis inteſtatorum *epiſcopo* datum eſt arbitrium legata ad pias cauſas conſtituendi. Alibi *pars bonorum*, alibi *bona omnia* piis cauſis vindicata ſunt. Vid. *Concilium Londinenſe* c. 23. de a. 1268. apud WILCKINS l. c. tom. II. p. 11. *Cum mortis incerta praeoccupatio ſaepe ſic anticipet vltimi arbitrii voluntatem, vt conficiendi teſtamenti ſeu extremae diſpoſitionis adimat vitae deciſio facultatem: agit humana pietas miſericorditer in defunctum, cum res temporales, quae illius fuerant, per diſtributionem in pios vſus ipſum iuuando ſequuntur, et coram coeleſti indice pro ipſo propitiabiliter intercedunt.* Ipſa prouiſionis epiſcopalis ratio deinceps exponitur. Vlterius progreditur *Concilium Exonienſe* can. 50. in f. apud WILKINS l. c. tom. II. p. 157. *Si qui vero laicorum deceſſerint inteſtati, de bonis eorum per locorum Ordinarios taliter praecipimus ordinari, vt pro anima defuncti in pios vſus totaliter erogentur.*

(*c*) *in obſeruationibus ad libr. IV. Codicis ad L. I. C. de SS. Eccleſis.*

LVDOVICVS ANT. MVRATORIVS (d) haec inter caussas ditati ecclesiastici aerarii expositurus, *Nimirum*, inquit, *patres et concilia concordi voce christianos passim hortabantur, vt viuentes aut in postremis saltem tabulis eleemosynas ad animae suae redemtionem hoc est pro eluendis peccatis relinquerent. Christum sibi cum filiis aut agnatis coheredem facere, hoc pacto pia gens dicebatur. Proinde vix vllus erat, qui sine eleemosynarum largitione suos dies clauderet. Immo probosum quodammodo erat, sine testamento decedere, hac ipsa potissimum de caussa, quod Christianus intestatus e viuis abiens nullamque eleemosynam decernens, nullam aut exiguam suae salutis curam habuisse videretur. Vt ergo eiusmodi ignominiae eriperentur, quicunque intestati diem claudebant, inuectus sensim alicubi fuit mos, vt episcopus defuncti hominis loco testamentum conde-*

(d) in *tomo V. Antiquitatum Italiae medii aeui* dissert. LXVII. *de modis, quibus olim Ecclesiae, episcopi, canonici, monasteria atque aliae huiusmodi vniuersitates sacrae terrenis opibus et commodis auctae sunt. p. 654.*

conderet, hoc eſt, id ſtatueret in eleemoſynas erogandum, quod relicturus fuiſſe crederetur Chriſtianus, vita defunctus, ſi teſtamentum ſuum viuens ſcripſiſſet.

§. IX.

Sed iurisdictio *eccleſiaſtica*, ad cauſas teſtamentarias producta, inter maxima eius incrementa iam ſec. XIV. vehementer impugnata eſt *in Gallia*, (*e*) obiectumque eſt publice, epiſcopos *in ius Regium* inuolaſſe. (*f*) Et primum quidem reſtituta eſt *iudicibus ſecularibus* iurisdictio in his cauſis, ſaluo tamen adhuc fori *eccleſiaſtici* et *ſecularis* praeuentionis iure: eademque poſtea *ſeculo XVI.* prorſus ademta eſt iudicio eccleſiaſtico, et ne ſeruata quidem quoad *legata pia* vel *clericorum teſtamenta.* (*g*) Similem iuris-

(*e*) Conſtitutionem, qua *Maiores Regni* in Gallia iurisdictionem ſecularem, a clericis fere totam abſorptam a. 1246. tuiti ſunt, recenſet MATTHAEVS PARIS in *hiſtoria maiori p. 628.*

(*f*) CLAVD. FLEVRY *inſtitut. iuris eccleſiaſt.* P. III. cap. I. §. 5.

(*g*) Haec fata recenſet Z. BERNH. ESPENIVS *in iure eccleſiaſt. Part. III. lib. II. cap. 2.* tom. II. oper. nouae Edit. p. 129.

risdictionis ecclesiasticae abusum eodem aeuo *in Germania* inualuisse, non apparet. Salua seruata est iurisdictio secularis in causis testamentariis, eique tuendae status regiminis territoriorum particularis profuisse videtur. Effecit MAXIMILIANI I. Imp. quam *de testamentis* a. 1512. sanxit, constitutio, vt ne quidem illa *coram parocho* testandi forma recepta sit, nisi vbi vi *specialis obseruantiae* vim obtinuit. Reliquae iuris Canonici, quae ad vltimas voluntates pertinent, dispositiones, in foro seculari nactae sunt auctoritatem, quam eis conciliauit vsus receptio. Regnauit tamen opinio, *animae saluti* prouideri per dispositiones ad pias causas, quae ideo curae episcopali subiectae sunt. Nec minus viguit mos, constituendi *testamentarios*, seu executores testamenti, quorum curae executio *memomoriarum* et *legatorum pro anima, Seelen Geraeth*, committi solebat.

§. X.

In Belgio non prorsus sublatam in causis testamentariis esse iurisdictionem

eccle-

ecclesiasticam sed *restrictam tantum*, obseruat ESPENIVS, (*h*) et diuersam vtique esse prouinciarum obseruantiam, in *aliis* huius generis causas priuatiue esse *fori ecclesiastici*, in *aliis* vtriusque *fori secularis* et *ecclesiastici* aequalem esse iurisdictionem, causasque testamentarias *mixti fori* esse coepisse. Plures veteris *iuris ecclesiastici* reliquias seruant *consuetudines Angliae*, quibus *foro ecclesiastico* hodienum vindicantur *causae testamentorum*. In his *iudex competens* non est nisi *Ordinarius*, hoc est, vniuscuiusque dioeceseos, in qua moritur defunctus, *episcopus*, vel si bona notabilia in diuersis dioecesibus habuit, *Archiepiscopus* per prouinciam: nisi quis hanc iurisdictionis partem *concessione* vel *praescriptione* obtinuerit. (*i*) Tota fere testandi ratio, apud Anglos vsitata, ex

(*h*) *loc. cit. Part. III. tit.* 2. §. 17. *f.* p. 193.

(*i*) ROBERTI EDEN, Archidiaconi Wintoniensis, *iurisprudentia Philologica lib. II. lit. X. p.* 111. 10. COWELLVS in *institutionibus iuris Anglicani lib. II. tit.* 10. §. 9. *p.* 158. THOMAS WOOD *Institute of the Laws of England lib.* 2. *c.* 6. *p.* 318.

ex *veteri iure ecclesiastico* natales ducit. Exoleuit tantum mos antiquus, parochum, quem longe alio officio defungi oportet, in testes testamentarios numerandi. Seruatur testandi modus simplex, *naturali rationi* proxime accedens, qui resectis solennitatum difficultatibus, ea tantum desiderat, quae *probandae vltimae voluntati* sufficiunt. Ne duo quidem testes requiruntur, si alia suppetunt ad efficiendam *probationem* momenta, et testamentum *propria testatoris manu* descriptum esse apparet. (*k*) Ex iisdem moribus ecclesiasticis antiquis originem ducere videtur mos *executores* in testamento constituendi. Iure Anglicano non *heredes* testamento scribuntur sed *executores*. *Heres* non est nisi proximus ex lege defuncti successor in bonis beneficiariis: et hereditatis nomine bona tantum veniunt, quae

(*k*) IO. COWELLVS *l. c.* §. 2. *omnem*, inquit, *testamenti probationem idoneam existimamus. quae primae illi gentium simplicitati satisfacit. Neque enim duo testes hodie requiruntur, si aliae sint circumstantiae, quae probationem supplent. Et femina testis admittitur.* THOM. WOOD. l. c.

quae legitimos habent successores. (*l*) Ad bona mobilia aliaque bona liberae dispositioni subiecta *executores* testamento constituuntur, qui pro hac parte patrimonii *heredis locum* occupant, personam defuncti subeunt, solutoque aere alieno, praestitisque legatis reliqua defuncti bona sibi acquirunt. (*m*) Sola *executoris* constitutio *testamentum* et *codicillum* distinguit, perinde vt apud Romanos heredis institutio. Executor vero testamento nominatus nihil legitime agere potest, nisi auctoritate testamentum exequendi sibi ab *Ordinario* data: nec hanc prius obtinet, *quam prolato coram iudice ecclesiastico testamento, praestitoque iuramento, quod credat, testamentum esse verum atque vltimum testamentum defuncti, et quod iustum et fidele inuentarium omnium et singulorum bonorum, quae defunctus die vitae et mortis habuit, conficiet, et tempore assignato exhibebit, item quod debita et legata soluet, et rationes iustas suae executionis reddet, quandocumque requisitus fuerit.* (*n*) AP-

(*l*) IO. COWELLVS l. c. lib. 2. tit. 13. §. 1. 2.
(*m*) ROB. EDEN. l. c. lib. 2. lit. 14. p. 122.
(*n*) Verba sunt ROBERTI EDEN l. c. p. 123.



APPENDIX DOCVMENTORVM.

Teſtamenta ad pias cauſas, et clericorum eorumque executionem illuſtrantium.

I.

Conradi, Epiſcopi Verdenſis, Ducis Brunſuic. et Luneb. priuilegium de teſtamentis Luneburgi praeſertim ad pios vſus ſine praeſcitu Senatus non condendis, de iisdem fideliter exequendis, item de erigendis et dotandis nouis capellis et altaribus. de a. 1297.

Conradvs, Dei gratia Verdenſis Eccleſie Epiſcopus. Omnibus hoc ſcriptum viſuris, ſeu audituris ſalutem in Domino fructuoſam. Quia fama denunciante ad noſtram peruenit audientiam, quod plerique *executores* teſtamentorum Ciuitatis Luneborg in *complendis vltimis voluntatibus* decedentium ſint deſides et remiſſi, et quod dampnabilius eſt, ea que per teſtatores legata ſunt ad pios vſus, ſuis applicare vſibus non verentur. Proinde matura deliberatione prehabita duximus ſtatuendum, vt nullus de cetero poſitus in egritudine vltima, Ciuis Luneburgenſis-

neburgensis, vtriusque sexus, suum *condat testamentum, vel testamentarios* eligat, nisi hoc de scitu, consensu et consilio consulum faciat Ciuitatis memorate, nec aliquid de rebus, *in pios vsus* legatis, ordinet seu ordinari faciat, preter consensum et consilium consulum praefatorum. Nos enim quicquid per sepe fatos Consules in *executionibus testamentorum* secundum *Canonicas sanctiones* rite et rationabiliter ordinatum fuerit, gratum habebimus et acceptum, et faciemus auctore domino inuiolabiliter obseruari. Preterea prescriptis consulibus, dotandi Capellas et altaria in Ciuitate Luneborg et ipsis competentes reditus assignandi, et sibi ius patronatus et suis successoribus Capellarum dotatarum seu altarium dotatorum retinendi, saluo nostro et subditorum nostrorum iure liberam in hiis scriptis concedimus potestatem; dummodo altarium et capellarum dotatio talis nulli videatur preiudicium generare. In quorum omnium testimonium presens scriptum nostri sigilli munimine fecimus roborari. Datum Luneborch Anno Domini M.CCLXXXXVII°. Dominica Iubilate.

II.

ADELOGI Episcopi Hildensemensis constitutio super aduocaciis obedienciarum et testamentis Canonicorum et in contra facientes. de a. 1179.

In

In nomine ſanćte et indiuidue Trinitatis ADELOGVS, diuina miſericordia Hildenſemenſis Eccleſie Epiſcopus. Sicut magne virtutis apud Deum eſſe conſtat, eccleſias edificare, edificatas poſſeſſionibus ditare; ita non minoris meriti eſſe dinoſcitur, ditatas perpetua pace, ſtabilique iure confirmare, quia tunc proderit bonum opus incepiſſe, cum eidem vitima manus perfećtionis cognoſcitur non deeſſe. Nouerit ergo omnium fidelium Chriſti tam preſentium, quam futurorum prouida diſcretio, quod dilećti in Chriſto *fratres noſtri*, Hildeneſheymenſis Eccleſiae *Canonici*, quorum vtilitati et quieti, quoad poſſumus, ſtuderé tenemur, inpudentem *Aduocatorum* ſuorum importunitatem ſollicitudini noſtre ſepiſſime ſuggeſſerunt, eosque homines ſuos depredari ſine reſpećtu miſericordie, et angariis et parangariis importabiliter grauare, conqueſti ſunt, cum tamen piiſſimorum Imperatorum digna Deo diligentia eos ob id tantum Eccleſiarum bonis preeſſe conſtituerit, vt defenſionis eorum auxilio ab ingerentibus ſe moleſtiarum grauaminibus ſecluderentur. Huius iniurie lacrymoſam querimoniam ad tribunal ſummi iudicis perlatam eſſe non dubitamus, ſed et nos ſuper ea affećtu pietatis fraterne nobis inſita, ſepe intimius, ſupra id, quod credi poteſt, permoti ſumus. Cum ergo propter minuendas Aduocatorum intolerabiles exaćtiones anteceſſores noſtri, beate memorie Epi-

ſcopi, dictis fratribus noſtris ſolita benignitate, id gratie contuliſſent, vt, ad bona obedientiarum ſuarum tuenda, Aduocatum, qui ſibi videretur ydoneus, eligerent, qui tamen, nonniſi vocatus, ad ſubortas cauſas determinandas venire deberet; nos, diuine retributionis intuitu, eorum deſideriis annuentes, amplioris muneris gratiam eis conferimus, et Aduocatos, et omne ius eorum, a dictis obedientiarum bonis, et hominibus precidimus; arbitrio obedientiarum relinquentes, quatinus cauſas, ſi que oriuntur, vel per ſe, vel per amicos ſuos, rationabiliter determinare ſatagant. Praeterea pro certo nouimus, quod iam ſepedicti fratres noſtri in publicis conuentibus, videlicet feſtis et placitis, et in cottidiana hoſpitum receptione grauibus onerantur expenſis. Ideo conſuetudines et iura Eccleſie eis firmamus, ſcilicet, quod nec nos, nec aliquis ſucceſſorum noſtrorum Epiſcoporum bannum vel Eccleſiam aliquam alii eccleſie, etiam in Epiſcopatu noſtro, ſine conſenſu et conſilio Fratrum perpetuo poſſidendam tradat, vt habundatiori ſolatio Epiſcopus expenſis eorum ſubuenire valeat. Item nouimus Decretis ſanctorum patrum, et auctoritatibus conciliorum ſancitum eſſe, Epiſcopum cum conſilio Cleri ſui res eccleſiaſticas diſpenſare debere. Nos tamen, vt ampliori diligentia res eccleſie noſtre conſeruari valeant, hoc in ea ſpeciali approbatione faciendum confirmamus, videlicet,

quod

quod Episcopus sine discretiorum consilio Fratrum, nec negotia magna diffinire, nec beneficia maiora locare, nec redditus mense sue, si forte necessarium fuerit, pignori obligare, vel nullo modo alienare presumat: siquidem tunc optime res ecclesiastice dispensantur, cum prudentum consilio administrantur. Item quia *ex deprauatione monete* sepe iam dicti fratres nostri grauia in diminutione prebende sue sustinere poterunt detrimenta; statuimus, vt nunquam in ciuitate nostra denarii vilioris monete fiant, nisi XXIV. solidi marce examinati argenti equivaleant. Item, quum quidam antecessores nostri sancte memorie Episcopi *synodalia* de Ecclesiis vel Capellis, que a manu eorum tenebantur, vsque ad hec tempra nostra, vsui suo deputassent; nos solita benignitate, quam erga fratres nostros habemus, et semper habere volumus, Archidiaconis, in quorum iurisdictione ecclesie ille site sunt, dono gratie nostre plenarie permittimus et perpetuo confirmamus. *Testamenta* quoque *Fratrum nostrorum*, que fecerint, vel que eis ex aliorum testamentis *legata* fuerint, ex auctoritatibus Decretorum confirmamus, firmiter statuentes, vt nulla ecclesiastica siue laica persona contraire audeat, si anathematis vinculo noluerit innodari. Vt autem hec nostre constitutionis et donationis auctoritas omni euo inconcussa et inconuulsa permaneat, paginam istam conscribi, et dignitatis no-

ſtre ſigillo ſignari precepimus, auctoritate Dei omnipotentis et beati Petri et noſtra anathematizantes omnes contraire temptantes, eisque conſentire preſumentes.

Teſtes huius actionis hii ſunt:

Preſbyteri: Bertoldus maior Praepoſitus. Conradus Decanus, Bertoldus, Lambertus, Berno Magiſter Scholarum, et Prepoſitus ſancti Petri in Goslaria, Godefridus, Herebordus. *Diaconi:* Bruno, Erpo, Burchardus Prepoſitus. Iohannes, Harderadus, Thietmarus. Otto prepoſitus ſancti Mauricii. Widechindus, Bruno Cantor. Berincherus Prepoſitus ſancte Crucis. Thietmarus, Ludolfus. *Subdiaconi:* Henricus, Iohannes, Elbertus, Hartbertus, Ethelbertus, Ethelhardus Goslarienſis Prepoſitus, Conradus. Actum anno ab incarnatione Domini M° C° LXXIX. Indictione XII. V. Kal. Aprilis, *Hildeneſheim* in Capitulo: Regnante Imperatore Fritherico. Anno regni eius XXVIII. In nomine Domini feliciter, Amen.

III.

Litera Capituli Hilden. de teſtamentis Clericorum de a. 1270.

HENRICVS dei gracia Prepoſitus. *Io.* Decanus totumque Hilden. eccleſie Capitulum vniuerſis preſens ſcriptum inſpecturis ſalutem

tem in dno. Quia iusticia est, reddere vnicuique quod suum est; profecto recte agitur, si vniuscuique ius suum illesum conseruatur. Ideoque pro conseruando *iure nostro in testamentis et vltimis voluntatibus* nostris venerabili domino nostro Ottoni Hildensemensi Electo attencius duximus supplicandum, vt *testamenta* seu *disposiciones vltime voluntatis vniuersorum Clericorum* Hilden. ciuitatis et dyocesis firmas et ratas haberet et inuiolabiliter faceret obseruari. Precibus itaque humilitatis nostre prefatus dominus noster nobiliter inclinatus, in omnes tam Clericos, quam Laycos, qui res clericorum decedencium manu temeraria et sacrilega de cetero rapiunt, occupant et inuadunt, excommunicacionis tulit sentenciam, nobis precipiendo distinctius, vt eamdem circa nostros subditos obseruemus. Actum in Capitulo nostro Anno domini M. CCLXX. in Cena domini.

IV.

Litera OTTONIS episcopi Hilden. ducis Brunsuicensis de iure executorum testamenti Canonicorum circa fructus anni gratiae. a. 1279.

OTTO dei gracia Hildensemensis episcopus vniuersis, quibus presens scriptum videre contigerit, vel audire, salutem in domino. Prudens

dens decreuit antiquitas, vt, que ab hominibus geruntur, ne simul cum lapsu temporis a memoria hominum elabantur, scriptis autenticis commendentur. Hinc est, quod, cum dilecti in Christo prepositus, decanus et capitulum ecclesie nostre nobis humiliter supplicarunt, quatenus redditus beneficiorum seu prelaturarum, que vel quas de manu nostra tenent, ipsis decedentibus vno anno post mortem integraliter cedant ad defunctorum debita persoluenda; quod si defuncti debitorum onere grauati non fuerint, dicti redditus vel quicquid vltra solucionem debitorum excreuerit, pro ipsorum memoria peragenda per *testatores* in usus capituli conuertantur. Nos eorum piis supplicationibus inclinati, ipsorum desiderio duximus liberaliter annuendum. Ita tamen, quod si aliquis ex ipsis in die beati *Iacobi* mori contigerit, *testamentarii* ipsius fructus nostrorum beneficiorum vel prelaturarum primo anno ex consuetudine percipient approbata pariter et prescripta. Secundo eciam anno iidem *testatores* predicta percipient integraliter ex hac nostra liberali concessione secundum formam superius annotatam. *Si autem, quod absit, aliquem ex ipsis intestatum decedere contigerit*, predicta omnia, cum bonis defuncti, mobilibus et immobilibus, excepta curia sua, per decanum et capitulum pro ipsius memoria peragenda in usus capituli conuertentur. Illi autem, quibus beneficia

neficia vel prelature collata vel collate fuerint, iurisdiccionem ſuam exercebunt et beneficiorum collacionem liberam optinebunt. Ad huius noſtre conceſſionis euidenciam, preſens ſcriptum inde confectum ſigillo noſtro fecimus communiri. Actum in Capitulo noſtro Hildenſemenſi anno domini Milleſimo CC°. LXXVIIII. in commemoracione beati Pauli: Pontificatus noſtri anno quinto decimo.

V.

Vltima voluntas HERMANNI, ſua legantis Hoſpitali S. Iohannis in Hildenſem.

Ego HERMANNVS habeo C. marcas in decima Rottinghe: de quibus hanc facio *ordinacionem*, vt quinquaginta Marce cedant *hospitali pauperum*, et quidquid inde poterit haberi per manum decani et magiſtrum hoſpitalis colligatur, et ſi forte poſt incendium vel aliud infortunium neceſſaria fuerit reparacio iam dicti hoſpitalis, vel ſi alia legitima exegerit neceſſitas, accipiantur expenſe de fructibus L. marcarum, et quamdiu poſſit aliquid inde colligi, fideliter et cum ſtudio ad predicte domus reparacionem colligatur. Quodſi reparacio edificiorum non fuerit neceſſaria, quicquid de bonis ſupra dictis L. marcis comparatis prouenerit, ite-

rum

rum diligenter colligatur ad alia bona comparanda. Alias vero L. marcas trado ad *emendacionem prebende* fratrum ſancti Iohannis. Trado preterea ſancto Iohanni XX. marcas, vt de eis bona comparentur, que decanus cuſtodi eiusdem eccleſie et aliis duobus canonicis circa locum magis curioſis committet, vt per eorum diligenciam operam de bonis inde emptis XII. ſolidi annuatim ad *ſarta tecta eccleſie* vel *dormitorii* ſeorſim repoſita referuentur. Et ſi forſan reparacione non indiguerint, tunc ſemper XII. ſolidi ſingulis annis, prout dictum eſt, colligentur; et inde ſecundum quod melius viſum fuerit eis, quibus commiſſum fuerit, ordinabitur; redditus vero reſidui de predicta pecunia comparati diuidentur in tres partes, quarum due ponentur ad *eccleſie luminaria*, tercia vero cedet ad *vſus cuſtodis*. Volo eciam vt medietatem mee ſuppellectilis et omnium rerum mearum tam in argento quam in aliis habeant *pauperes hoſpitales* ad commoda neceſſaria, et res ille fidei magiſtri hoſpitalis committentur. Aliam vero medietatem meis *teſtatoribus* committo, vt inde faciant, quod *mee* commodum ſit *ſaluti*. Libri vero, calices, ampulle, indumenta conſecrata ſpecialiter eccleſie pertinebunt. Rogo eciam, vt *oraciones* pro me fiant, quamdiu viuo et poſt mortem meam memoriam mei inſtituant faciendam, vt ſcilicet ad ſummam miſſam vel ad aliam aliquam collectam

lectam dicant. *Ideo dedi res meas sancto Iohanni, vt mei memoria semper fiat inde.* Et de hospitali, quamdiu superstes fuero, habeam necessaria in pane et potu, et in ferculis, qualia magister hospitalis habebit. Meos autem *testatores* constituo Cantorem Henricum de Tossem, Comitem de Insula, dominum Volchardum, magistrum Iohannem, episcopi vicarium.

VI.

Litera OTTONIS episcopi Hildens. super executione testamenti ipsius de a. 1331.

In nomine domini Amen. Nos OTTO dei gracia Hildens. ecclesie Episcopus, attendendentes, quod nihil morte cercius, hora autem mortis nihil incercius, egri corpore, sani tamen mente, volentes *saluti anime nostre prouidere*, de bonis nostris mobilibus per modum vltime voluntatis taliter duximus ordinandum. In primis igitur volumus et mandamus, quod *Executores* nostri infrascripti exequias nostras procurent, et expensas earum de rebus nostris mobilibus faciant, prout ipsis videbitur expedire. Et quamuis successor noster debita, que contraximus, soluere teneatur; nos tamen, saluti anime nostre salubrius prouidere cupientes, quibus-

quibusdam creditoribus, quibus arcius aſtringimur, in quantum facultates ſuppetunt, ſatisfieri mandamus. De quibus eisdem Executoribus ſcriptum tradidimus ſpeciale. Inſuper piis locis et religioſis perſonis ac eciam familie noſtre aliqua de rebus noſtris imperciendum duximus, que eidem ſcripto duximus inſerenda. Super hiis itaque exequendis et aliis pro ſalute anime noſtre ordinandis Executores deputamus honorabiles viros in Chriſto nobis dilectos Ottonem de Woldenberghe, Prepoſitum, Siffridum de Reghenſtein, Scolaſticum, Borchardum de Querenuorde, maiorem Archidyaconum eccleſie noſtre, dantes eis plenam poteſtatem et mandatum ſpeciale, omnia bona noſtra mobilia, vbicumque et apud quoscumque conſiſtant, petendi et recipiendi ac de ipſis diſponendi ſecundum traditam eis formam. Actum et datum in Caſtro Sturwold Anno Domini M. CCCXXXI. VII. Idus Iunii.

Diſpoſicio eiusdem de rebus ſuis poſt obitum derelictis.

Nos OTTO dei gracia Hilden. eccleſie Epiſcopus, egri corpore, ſani tamen mente, volumus, vt de rebus *noſtris mobilibus* ſatisfiat creditoribus noſtris infraſcriptis, et ſoluantur quedam donata piis locis et religioſis perſonis ac eciam familie noſtre, prout inferius continetur,

tur, in quantum facultates suppetunt, per honorabiles viros, videlicet Ottonem Prepositum, Siffridum Scholasticum, Borchardum maiorem Archidyaconum ecclesie nostre, quos super hiis Executores duximus deputandos.

Inprimis igitur tenemur ad Testamentum domini Frederici quondam de Adenoyis quadraginta sex marcas puri argenti, minus II. fertone.

Capitulo nostro XIII. marc. de Castro Indaginis.

Borchardo Boksel XXXVI. marc. II. ferton.

Domino Ottoni Preposito maiori XX. marc. po equo.

Item eidem X. marc. pro alio equo.

Basilio de Rottinge, militi, XVI. marc. pro equo.

Gherboldessem VI. marc. pro equo.

Dethmaro de Luttere IIII. marc. Henrico Boksel VI. marc.

Iohanni de Dalem et pingui monetario IIII. marc.

Eylardo de Dodessem, militi, XIIII. marc. Leynenberge IIII. marc.

Henrico Balistario IIII. marc. Euerhardo de Quanto XI. marc.

Conrado de Ingheuen X. Marc. Ludero de *Latbusen* et Posowalc V. marc.

Io de Goslaria et . . . sten eximentur a debitis omnibus, que nomine nostro contraxerunt: super quibus stabitur assercioni eorum.

Bolde-

Boldewino institori I. marc.

Pro equo cuiusdam pauperis dabitur Reynoldo vna marca.

Item cuidam in Hasen, quem scit Reynoldus, III. fertones.

Iohanni de *Volckersum* II. marce. Sandero III. marce. Preposito in Lamespringe I. marca.

Hec sunt donata:

Custodi fratrum minorum II. marce. Lectori vna marca. Conuentui IIII. marce.

Fratribus predictis in Brunswig III. marce ad fabricam.

Abbe in *Wolthingerode* X. marce. Filie *Comitis* HERMANNI ibidem II. marce. *Sorori* nostre in *Distorpe* X. marc. *Nepti* nostre de *Locbauwe*, ibidem II. marce.

Fabrice sancti Iohannis in Dammone IIII. marc.

Fratri Ottoni de Grubenhagen I. marc.

Recluse apud sanctam Katherinam X. solidi.

Recluse in Lutzingworden X. solidi.

Gherardo Sten II. marc. Culcitrum cum pannis scripis et tegmen de pellibus et III. lecti de Camera nostra in ciuitate, eidem.

Tzedenem II. marce. Vxori sue *Wardekotium.* *) Ma-

*) In testamento de a. 1332. in VAL. FERD. DE GVDENVS *sylloge diplomat. p. 632. meum Warkors mixti coloris non furratum.* Item: *lego et ordino Catharine ancille mee, - - aliam tunicam meam, dicto Warkors attinentem.* Descendit a *Warda*, *Guarda*, et *Kott*, cucullus.

Magiſtro Bertoldo Sagittario I. marc. Berbom I. marc. Alexio I. marc.

Villice II. vacce et II. oues. Iohanni Portario I. vacca et II. oues.

Bozero I. vacca, I. ouis. Torneman I. vacca, I. ouis. Betemann I. vacca, II. oues.

Bertoldo Fractori I. vacca II. oues, II. maldra ſiliginis cuilibet.

Borchardo aurige I. vacca, II. oues, II. maldra ſiliginis.

Villice de Hardeſſem I. vacca. Barcmann II. oues et maldram ſiliginis.

Veddere I. vacca, II. oues, II. maldra ſiliginis.

Brandoni de Vppen II. vacce, I. plauſtrum ſiliginis.

Knoken I. vacca, X. modios ſiliginis.

Volumus inſuper, vt in ſingulis monaſteriis Monialium noſtre dioceſis fiant exſequie noſtre et dentur tres denarii cuilibet Moniali. Et vt hoc ſcriptum fidem faciat apud omnes, ſigillo noſtro illud iuſſimus communiri Anno domini M° CCC XXXI. III. Idus Iunii preſentibus executoribus noſtris ſupradictis, nec non Fratre Iohanne Lectore Predicatorum in Halberſtadt. Iohanne Decano ſancti Andree et Iohanne de Goslaria, Capellanis noſtris, ad hoc ſpecialiter conuocatis.

VII.

IOHANNIS MONIK Praepositi Tzeuenensis et Bremensis testamentum de a. 1397.

In dei nomine Amen. Anno Natiuitatis eiusdem M. CCC. XCVII. Indictione quinta, mensis Iunii die vicesima septima, hora quasi nona, Pontificis sanctissimi in Christo Patris ac domini nostri, Domini Bonifacii diuina prouidentia Papae noni anno octauo, in mei, notarii publici, testiumque subscriptorum praesentia personaliter constitutus honorabilis et circumspectus vir, Dominus Iohannes Monik, Praepositus ecclesiae Bremensis, licet corpore aliquantulum debilis, sanus tamen mentis et rationis, melioribus modo iure et forma, quibus potuit et debuit, fecit, constituit et ordinauit in sui testamenti seu vltimae voluntatis veros et legitimos *testamentarios* et executores honorabiles et religiosos viros, Dominos, *Esponem*, *Abbatem* beatae *Mariae* virginis extra muros Stadenses, ac *Iohannem Praepositum* sancti *Georgii* Stadensium monasteriorum praesentes et onus huiusmodi testamenti in se sponte suscipientes, iterum *Gherlacum Abbatem* monasterii in *Hersevelde*, Godscalcum ecclesiae Bremensis, ac Hermannum ecclesiae sancti Willehadi Bremae Decanos, et Magistrum Hinricum Wolou, praepositum ecclesiae sancti Anscharii Bremensis, ab-

sentes

ſentes tanquam praeſentes, et quemlibet eorum in ſolidum, ita quod occupantis conditio melior non exiſtat, ſed quod per vnum inceptum fuit, per alium proſequi, mediari, iuuari poterit et finiri. Iniungens ipſis et eorum cuilibet, ac obſecrans per viſcera miſericordiae Dei noſtri, quatenus de omnibus et ſingulis ſuis bonis et rebus, mobilibus et immobilibus ſeu per ſe mouentibus, quocunque nomine cenſeantur, ſeu cenſeri valeant, iuxta modum et formam infra ſcriptos agant et diſponant, prout magis et vtilius viderint et crediderint expedire. Idem etiam Dominus Iohannes Monik, eccleſiae Bremenſis praedictae praepoſitus, ſuum condidit et diſpoſuit in hunc modum teſtamentum. In primis dedit, donauit, legauit et aſſignauit eidem monaſterio in Zeuena omnia et ſingula per ipſum emta et expoſita pro huiusmodi monaſterii vtilitate. Idem dedit, donauit, legauit et aſſignauit eidem monaſterio in Zeuena viginti quatuor marcas Bremenſes et centum Florenos, quos Prioriſſa dicti monaſterii in Zeuena nomine ipſius in ſua ciſta habet in cuſtodia ſeu commenda, tali tamen conditione adiecta; ſi praepoſitus dicti monaſterii in Zeuena dictam pecuniam in vſus et vtilitatem conuertere voluerit et non aliter ſupradicti. Item dedit, donauit, legauit, et aſſignauit ad tabulam in eccleſia Bremenſi faciendam centum Florenos exceptis illis, quae iam dedit ad eandem. Item

 dedit,

dedit, donauit, legauit et assignauit ecclesiae in Drebbere illos septuaginta quinque florenos, quos sub se habet Stenowe in Zeuena, quos sibi honesta Domina Iutte, relicta Radelem de Stadio, bonae memoriae, nomine eius praesentauit. Idem dedit, donauit legauit et assignauit domino Hinrico Hunrecamp duos *libros viaticos*, quondam reuerendo in Christo patri, domino Iohanni de Tzesterflete, Episcopo ecclesiae Verdensis bonae memoriae, pertinentes huiusmodi conditione annexa, quod dictus dominus Hinricus Hunrecamp praefatis libris viaticis ad suae duntaxat vitae tempora debeat perfrui, et, eo defuncto, dicti libri Gherardo Stenowen, si superuixerit, debent praesentari. Ipso vero Gerardo viam vniuersae carnis ingresso, Thidericus Stenoue, eius frater, praenominatis libris ad suae solum vitae tempora pacifice perfruatur. Ambobus autem fratribus praedictis de medio sublatis, in vsus pauperum dicti libri penitus conuertantur. Item dedit, donauit legauit et assignauit domino Hinrico de Douerden, pro suae litis defensione et compositione facienda, quae habetur cum discretis viris, dominis Vicariis ecclesiae sancti Stephani occasione vicarii, dicti Gherardi Stenoven, sedecim marcas Bremenses. Item dedit, donauit, legauit et assignauit Praeposito ecclesiae Bremensis, qui pro tempore fuerit, domum suam et curiam ei annexam in ciuitate Bremensi, pro-

pe

pe domum domini magiſtri Hinrici Woleri, praepoſiti ſancti Anſcharii, conſtructam et ſituatam, quam emit et conſtruxit, cum aedificiis aliis ibidem conſtructis et erectis apud prepoſituram Bremenſem temporibus perpetuis permanſuram, dummodo Praepoſitus eccleſiae Bremenſis, qui pro tempore fuerit, ibidem reſidentiam fecerit perſonalem. Alioquin in eius abſentia, ſi per ſe prepoſituram non rexerit, vel perſonalem reſidentiam non fecerit, ad manus Capituli eccleſiae Bremenſis memoratae, quamdiu abſens fuerit, et praepoſituram non rexerit, vel perſonalem reſidentiam non fecerit, ſtare debebit, ſicut haec et alia ad hoc annexa, quae hic voluit haberi pro inſertis, in literis ſuper hoc confectis plenius continetur. Item dedit, donauit, legauit et aſſignauit dominae Hebelen de Oſtenhagen, ſanctimoniali in Eclíperta *) duas *cappas* et duas *tunicas*, de ſuis bonis emendas et comparandas. Item dedit eidem Hebelen duos florenos, pro quibus ſeptem Pſalmos, vigilias, horas beatae Mariae virginis et orationes Deo deuotas digne perſoluat. Item dedit, legauit, donauit et aſſignauit domino Ditmaro de Rode equum ſuum, ſtantem in Brema, dictum vulgariter *ein Baclbezet perd.* Item dedit, donauit, legauit et aſſignauit

*) Forte *Himmelpforten*, monaſterium ſanctimonialium S. Benedicti.

assignauit Lippoldo van der Helle, suo fratri, Caballum suum, quem emit a Commendatore in Brema, sub tali conditione, quod deberet desistere ab omni impetitione bonorum, quondam a suis parentibus et amicis impignoratorum et obligatorum, quae ipse dominus Iohannes Praepositus de bonis monasterii sancti Viti in Tzeuena reemit, nec debet ipsum monasterium pro eisdem incusare vel molestare quouis modo. Item dedit, donauit, legauit et assignauit alios suos *tres equos*, quos habuit, filiis dicti Lippoldi, fratris sui, cum *tribus Sellulis*, eadem sub conditione, si voluerit desistere ab impetitione et incusatione bonorum praedictorum. Item dedit, donauit, legauit et assignauit ducentas marcas Bremenses, ad fundandam vnam vicariam perpetuam, Gherardo et Thiderico filiis Stenoven, conferendam vni post alium, et ad huiusmodi reditus comparandos Dominus Hinricus Hunrecamp predictus debet esse adiutor et sollicitator. Item dedit et assignauit Iohanni Cantus, Iohanni Warnagghel simul vnum plaustrum ordei. Item dedit et assignauit Stenoven et Hinrico eius filio vnum plaustrum ordei, et vi huiusmodi duo plaustra ordei sibi tenebitur Holueden obligata. Item dedit et assignauit Cristinae, sorori suae, vnum plaustrum brasei ordeatici. Item dedit et assignauit Ludero de Horno vnum plaustrum brasei ordeatici. Item Fratribus Calendarum in Sta-

Stadis dedit duodecim marcas Lubicenses, vt Deum *pro ipsius anima* eo diligentius valeant et possint deprecari. Item dedit et assignauit Iutten, filiae dicti Lippoldi de Helle, curiam suam, in Lesten situatam, pro qua litigat cum Gherlaco de Horne, vt cum dicta curia possit alicui viro honesto desponsari. Item dedit et assignauit Edeberen condictas illas duodecim marcas Bremenses, quas sibi tenetur, et pro quibus sibi curiam suam in Eyten obligauit et impignerauit. Item dedit et assignauit ecclesiae sancti Willehadi in Brema centum florenos *pro duabus memoriis* faciendis, pro eius anima annuatim peragendis, *iuxta consilium testamentariorum suorum praedictorum*. Item dedit et assignauit Ditmaro de Borch et suo filio decem marcas Bremenses. Item dedit et assignauit dicto Lippoldo de Helle, suo fratri, *ein aleuere* iuxta aggerem bey der Wymme situatum. Item dedit, donauit et assignauit mihi, Marquardo Woleri, notario publico infra scripto, excessus synodales dictae suae praepositurae Bremensis corrigendos et extorquendos et percipiendos, pro eius anima Deum deprecando. Dans nihilominus et concedens idem Dominus Praepositus testator dictis suis *testamentariis seu testamenti executoribus* et eorum cuilibet plenam atque liberam potestatem et speciale mandatum, quaecunque sua *debita* a debitoribus et quibuscunque personis *exigendi* ac *recipiendi*, ac fi-

nem et *quitationem de perceptis*, et *pactum de vlterius non petendo*, faciendi, ac contra eos et eorum quemlibet ratione huiusmodi debitorum *in iudicio* vel *extra* per ſe vel procuratorem ipſorum *agendi*, ipſosque debitores cum effectu conuincendi, ac omnia alia et ſingula faciendi, quae pro *ſalute ipſius animae* magis et vtilius crediderint expedire. Adiecit inſuper teſtator, quodſi in huiusmodi teſtamenti conditione, diſpoſitione, ſeu executorum conſtitutione propter ſolennitatum defectum aliquid defecerit, quod nihilominns valere debebit iure codicillorum ſeu cuiuslibet alterius vltimae voluntatis, proteſtans etiam, quod praeſens teſtamentum poſſit corrigere, immutare, innouare et addere vel ſubtrahere, vnum vel plures teſtamentarios eligere et aſſumere totiens, quotiens ſibi viſum fuerit expedire, ac prius per ipſum legata et aſſignata praeſentibus approbauit vel ratificauit. Super quibus omnibus et ſingulis dictus teſtator me notarium publicum infra ſcriptum requiſiuit et rogauit, vt ſibi de hoc vnum vel plura, ſi neceſſe fuerit, publicum vel publica conficere inſtrumentum vel inſtrumenta.

Acta ſunt haec in opido Staden, in domo habitationis dicti domini Hinrici Hunrecamp, Anno, Indictione, Menſe, Die, Hora et Pontificatu, quibus ſupra, praeſentibus diſcretis viris, domino Hinrico de Douerden in Timbeke, Ludero Brunebard in Heluechuſen, Iohanne de

de Ho in Rebenſtede, Iohanne Oldendorp in Beueren, et Hinrico Schelen in Gheverstorpe eccleſiarum Rectoribus, nec non Thiderico de Vordis, Hinrico Hunrecamp, Reimberto Petri, et Frederico de Seltzinge, presbyteris, Bremenſis et Verdenſis dioeceſis, et quampluri-mis aliis teſtibus fide dignis ad praemiſſa vocatis ſpecialiter et rogatis.

Et ego Marquardus Woleri, Clericus Bremenſis dioeceſis, publicus imperiali autoritate Notarius, huiusmodi teſtamenti conditioni, diſpoſitioni, executorum conſtitutioni, ordinationi, donationi, legationi, aſſignationi, obſeruationi, adiectioni, repurgationi, proteſtationi, approbationi, omnibusque aliis et ſingulis praemiſſis, dum ſic, vt premittitur, agerentur et fierent, vna cum praenominatis teſtibus praeſens interfui, eaque ſic fieri vidi et audiui, et in hanc publicam formam fideliter redegi, quam ſigno et nomine meis ſolitis et conſuetis ſignaui, requiſitus et rogatus in omnium et ſingulorum teſtimonium praemiſſorum et fidem pleniorem.





OBSERVATIO V

DE

FINIBVS IVRISDICTIONIS IMPERIALIS QVOAD IN CAVSIS ECCLESIASTICIS COMPETIT.

ORATIO.

dicta magistratus academici capessendi et auspicandi causa a d. III. Iul. cIↃ IↃ CCLIV.

ARGVMENTVM

I. *Orationis introitus.*
II. *Causae ecclesiasticae ex legibus secularibus dependentes, ex pace Religiosa et Westphalica,*
III. *et inter vtriusque religionis consortes controuersae.*
IV. *Iurisdictio Tribunalium Imperii in iisdem.*
V. *Modus procedendi specialis.*
VI. *Causae ecclesiasticae proprie sic dictae ex legibus ecclesiasticis dependentes.*
VII. *Iurisdictio in his in ecclesia Euangelica delata statibus Imp. Euangelicis, firmataque legibus Imp.*
VIII. *Tribunalium Imp. nulla in his iurisdictio.*
IX. *Vtrum Imperatori tribui possit ex iure postliminii?*
X. *An ex obseruantia seculi Reformationis?*
XI. *An causae ecclesiasticae formam acceperint causarum secularium?*
XII. *Conclusio Orationis.*

I.

I.

Annus prope circumactus est sextus, Auditores, quo academicum magistratum in isto academiae splendore obire contigit, quem sub eiusdem muneris, iterum delati, auspiciis grata memoria recolere, ac commoda, quae inde nobis obuenerunt, grata mente prosequi, pietate moueor. Illustratam tum vidimus Academiam *Augustissimi Patris Patriae*, cuius sacrum vultum in hac ipsa sacratissima aede coram venerari contigit, indulgentissimo aduentu, Numinique eius probari intelleximus instituta Georgiae Augustae, eaque confirmari ea propitiae voluntatis significatione, quae ad decus et amplitudinem eius vel maxime pertinebat. Quae inde nostrae Musarum sedi boni omnes ominabantur commoda et ornamenta, ea regio Beneficio euenisse, academiam, saluo Rectore Augustissimo, quod maxime precabamur, ad maius decus euectam, numero ciuium auctam, aliis super alia institutis, quae scientiarum cultum promouent, instructam,

et

et ad maioris ſplendoris ſpem euectam eſſe, laetabundi gratulamur.

Sed nec iſtorum ſolum beneficiorum animo pio obuerſatur memoria, verum inter ipſa etiam *Vicennalia*, a nata primum academia, magiſtratum mihi demandatum, indeque precandi vouendi gratulandique materiam datam eſſe, impenſe laetor. Annus agitur vigeſimus, cum Rex potentiſſimus in ſubiectis ſibi in Germania prouinciis decus et beneficium immortale collocaturus, hoc muſarum ſacrarium primum inſtitui, illud viris, earum, quas quisque profitetur, ſcientiarum callentiſſimis, exornari, ſcholas ab his aperiri, ciuesque in numerum referri iuſſit. Si veteres eiusmodi vicennii tempus in maximo votorum laudationumque officio poſuerunt: nobis profecto hoc tempus eo auſpicatius illuxiſſe arbitror, cum poſt viginti prope exactos annos ſaluum ſoſpitemque venerari liceat Magnificentiſſimum academiae conditorem, ſaluum illuſtriſſimum eius Curatorem, ſaluamque gratulari conditam academiam et ſub regiis auſpiciis

ſpiciis in dies efflorefcentem. In plurimis diuinae prouidentiae beneficiis vel hoc ſummo loco ponendum eſt, quod, quae ante viginti prope annos pro ſalute Auguſtiſſimi Patris Patriae nuncupata ſunt vota, ea, ſaluo Principe Pio et Auguſto, laeti ſoluere poſſimus. Intelligo, A. qua pietate certatim animi veſtri contendant in votis nouis pro incolumitate Regis noſtri in nouum vicennium repetendis multiplicandisque, in iisdemque pro ſalute academiae curatoris in multa luſtra concipiendis. Veſtra et patriae, quae non niſi ſaluo GEORGIO II. ſe ſaluam arbitratur, vota exprimo, dum Deum immortalem obſecro, vt propitius ſit in quinquennium et decennia multa Regi noſtro GEORGIO II. vtique ipſi perpetuam ſalutem, principibus regiis auguſtam fortunam, Domui Regiae aeternitatem, & quae ſceptro eius reguntur, terris ſecuritatem tranquillitatem et pacem largiatur.

Haec vota et preces, haec beneficiorum diuinorum, quae omnes vere agnoſcimus, pia recordatio animum ſubierunt,

runt, cum auſpicia facienda ſint eius muneris, in quo ſuſcipiendo legi, ab eodem Auguſtiſſimo Principe latae, obtemperandum et veſtra, Patres academiae ſumme colendi, beneuola ſuffragia agnoſcenda eſſe videbantur. Exinde videlicet in ipſa muneris difficultate hunc voluptatis ſenſum cepi, gerendi muneris initium videri auſpicatiſſimum, quod ſaluis iis, in quorum ſalute noſtra poſita eſt, obeundum eſt, et in quo obeundo diuinae benignitatis argumenta adeo perſpicua colligere diuino beneficio contingit. In ipſa muneris grauitate ſolatio ceſſit ſpes eximia, diu, quod Deus faciet, perduratura eſſe, quae a diuina gratia exorauimus beneficia, beneficia non noſtra modo, verum etiam totius patriae beneficia. Denique ſupremo Numini rectam rei bene gerendae voluntatem probari; eaque bene et proſpere agi exiſtimaui, quae diuino, quod religioſe imploro, auxilio aguntur. Quod itaque in capeſſendo magiſtratu obſequium praeſtandum erat, illud animo eo fidentiori praeſtiti, quo maiorem etiam in veſtra, Patroni, Fautores, Collegae

legae ſumme colendi, quorum auctoritate et conſiliis res maioris momenti agendae ſunt, beneuolentia, et in veſtris, Academiae ciues Amantiſſimi, ſtudiis et ad bene agendum virtute, fiducia collocanda erat.

Iam cum publica et ſolenni oratione ſint muneris mei primordia capienda, animum in diuerſa argumenta, de quibus ex hoc loco differerem, dirigenti perluſtrare contigit libellum Doctoris Bambergenſis, *) nouiſſime editum, animumque ipſa argumenti ratione ad legendum inuitantem: in quo ſummum in Eccleſia Euangelicorum imperium ſacrum, non rei veritate non legum auctoritate, ſed opinionis errore Imperatori, quod ipſe a ſe alienum exiſtimat, tribui perſpiciebam. Perſtiti in eo argumento executiendo, in quod eidem nimium tribui, ſtatuumque imperii Euangelicorum iura imminui animaduertebam; neque ab hoc loco alienum exiſti-

*) BENEDICTI SCHMIDII *Prüfung und Erweis des Kayſerlichen höchſten Kirchen Gewalts über den proteſtantiſchen Kirchen-Staat.*

existimaui, de *finibus iurisdictionis imperialis*, *quoad in caussis ecclesiasticis competit*, verba facere, in eoque argumento ita versari, vt, quae ex mente legum sint illa caussae ecclesiasticae, in quibus permittitur Imperatoris iudiciorumque imperii iurisdictio, et quibus ideo finibus haec circumscripta, et quando omnino neganda sit, exponam. Quod dum facio, vos vniuersos rogo atque obsecro, vt de his rebus breuiter dicturo ac saltem summos apices velut indice digito demonstraturo aequos animos fauentesque aures praebeatis.

II.

Prius quidem quam sacrorum repurpatio in Germania fieret, de hoc argumento vix exorta est quaestio, omni fere in sacris potestate sacerdotio adscripta, indeque caussis priuatorum statuumque Imperii ecclesiasticis iudicio praelatorum diremtis. Ex quo enim media aetate ad illud culmen euecta est hierarchia, vt separatae eiusque ab imperio exemtae reipublicae formam prae se ferret; tantum

tum abſuit, vt caeſari permitteretur in cauſis eccleſiaſticis arbitrium, vt potius ipſemet poteſtatis eccleſiaſticae vim ſubinde non ſine publico incommodo expertus ſit. Quaeri de ea re ex eo tempore coepit, quo, ſacris in Germania repurgatis, et imperio ſacro, quod Pontifex et Epiſcopi ſibi ſumſerant, impugnato, iurisdictio eccleſiaſtica annuente eccleſia ſtatibus euangelicis tributa eſt. Ex eodem tempore, atque poſt exorta religionis diſſidia natum eſt nouum cauſarum eccleſiaſticarum genus, quod vetuſtas ignorauit, ſiquidem iſta diſſidia ignorabat, genus, inquam, cauſarum, quae, ſecuritate religionis per Pacem Religioſam et Weſtphalicam reſtituta, iura et obligationes ex eiusdem pacis legibus oriunda reſpiciunt, in quibus excutiendis Caeſarem iudicem agnouit Germania.

In ea Pacis Weſtphalicae parte, quae pares numero ex vtraque religione iudices ad cauſarum deciſionem vocari iubet, *) cauſas eccleſiaſticas et politicas inter

*) Art. V. Inſtr. Pac. §. 53. *Caeſarea maieſtas man-*

inter vtriusque religionis consortes controuersias, relatas legimus, easque ad *duas* species reuocatas. Altera est, si inter hos solos, videlicet inter Catholicos et A. C. addictos, vertantur: altera est, si inter eiusdem quidem religionis consortes, sed interueniente tamen alio diuersae religionis Imp. statu disceptentur: hoc enim interueniente effici existimatum est, vt talis causa non minus similis euadat illi, quae inter diuersae religionis consortes agitur. Quae ibi in causis ecclesiasticis tribunalibus imperii tribuitur iurisdictio, eam principio sine Statuum *vtriusque religionis* discrimine constitutam esse obseruamus; vt

mandabit, vt non solum in isto iudicio camerali causae ecclesiasticae *vt et Politicae inter* Catholicos et Augustanae confessionis *Status, vel* 1) *inter* hos solos (videlicet inter catholicos et A. C. Status) *vel etiam* 2) *quando*, Catholicis *contra* Catholicos *statur litigantibus*, tertius interueniens Augustanae confessionis *status erit*, et vicissim *quando* Augustanae Confessionis *statibus contra* eiusdem confessionis *statibus litigantibus tertius* interueniens *erit* Catholicus, *adlectis ex vtraque religione pari numero Assessoribus discutiantur et iudicentur.*

vt videlicet et in hoc argumento, quod dissidia de negotiis ecclesiasticis eorumque discussionem respicit, seruaretur mutua illa et exacta, quae inter vtriusque religionis consortes generatim et consulta ratione sancita est, iurium aequalitas. Atque hoc ipsum mirum in modum inseruit definiendis causis ecclesiasticis, ex mente legum imp. ad iudicia imperii delatis, quas tales esse oportet, quae ex doctrinis ab vtriusque religionis consortibus in Germania agnitis reuocari ad secularia tribunalia par est, exclusis omnino illis, quae ex iisdem principiis ad fora secularia reuocari non possunt.

III.

Deinde et hunc causarum ecclesiasticarum, quem ipsa pax publica exhibet, caracterem imis sensibus notandum esse existimo, quod de illis tantum Pax publica sanciat, quae inter *vtriusque religionis consortes* vel directo vertuntur, vel saltem indirecta quadam ratione, praeuia videlicet alterius diuersae reli-

gionis consortis interuentione. Scilicet de his causis, quae *dissidia religionis* pepererant, et inter vtriusque religionis socios agitabantur, omnis in Comitiis pacis consultatio et tractatio suscepta est, de his inter vtriusque religionis paciscentes actum et conuentum, de his pax publica data et aeterna sancita. Vnicum supererat, hoc videlicet, quod ipsa Pax publica cauet, vt quae lege Comitiali decisae erant causae religionis, eaedem, futuro tempore in litem reuocatae, ex eadem lege comitiali in iudiciis imperii iudicatae, mox ad executionem deducerentur.

IV.

Intelligimus, A. causas ecclesiasticas ad imperii iudicia delatas esse easdem, de quibus ipsa Pax Westphalica disponit, ac non nisi de iurium, quae haec lex aeterna velut in sinu suo comprehendit, applicatione agi in imperii iudiciis, causasque ecclesiasticas esse illas, quae iura et obligationes, ex Pace Westphalica manifesto descendentia, respiciunt. In

his

his causis imperatori et imperii iudiciis data est iurisdictio, vt vim suam exsereret in *reparandis*, quae ex lege publica in religionis negotio competunt, iuribus, laesis subinde a diuersae religionis consortibus imminutisque; in *defendendis* et tuendis iis, qui ob religionem per iniuriam opprimuntur; in *tollendis*, quod diu in votis est, quae aduersus paces religiosas inferuntur, grauaminibus. Quae iurisdictio ita comparata est, vt eam agnoscere oporteat Status imperii tam *Romanae Ecclesiae* quam *Augustanae Confessioni* addictos, eamque nec principes ecclesiastici effugere queant, vinculo legum imperii non minus ac status seculares, obstricti.

V.

Auctoritatem, dignitatem et grauitatem huius iurisdictionis tantam esse voluerunt Imperii leges, quantam publicorum religionis negotiorum in litem reuocatorum ratio, legumque fundamentalium, de quarum virtute aduersus violatores et turbatores agitur, au-

 ctoritas

ctoritas exigere videbatur. Itaque ea vi munita est, vt quaecunque illicite vel via facti ad statum religionis, qualis ex norma annorum decretoriorum esse debet, turbandum minuendum euertendumue aguntur, ea, sola veritate facti inspecta, reiectis omnibus, quae ad tegendas religionis iniurias multiplici ingenio excogitari solent, exceptionibus, remotisque processus ambagibus imperatoria auctoritate, quae in mandatis de non offendendo et de restituendo similibusque praeceptis vim suam explicat, constitutisque ex Lege executoribus debeant restitui. Ita vero quae in istis caussis ecclesiasticis constituta est iurisdictio caesarea, in certissimum oppressorum praesidium et in publicam pacis vtriusque religiosae tutelam ex mente legum publicarum cedere debebat: ne videlicet oppressorum infelix caussa fluctibus processus committeretur, sed hi iniuriarum reparatorem promtissimum supremumque pacis religiosae executorem iustissimum, prout Leges iubent, ipsis rerum argumentis experirentur.

VI.

VI.

Quandoquidem vero amplum, prout eum ecclesiae disciplina protulit, caussarum ecclesiasticarum campum animo circumspicimus, quam exigua est illarum pars, quas sine vtriusque religionis consortium discrimine ad iudicia imperii reuocatas esse vidimus? cum non maior pars illis relicta sit, quam quae ipsis imperii legibus pro tuenda communi Imperii salute definita est. Quanta vero illarum superest seges, quae, ante Sacra repurgata et post illa, ab omni imperii iurisdictione exemtae, quod in foro ecclesiastico obtinuerant ciuitatis ius, in eodem omnino conseruarunt? Quaecunque enim caussae ecclesiasticae ex legibus ecclesiasticis, proprie ita dictis, reguntur, nec ex pace religiosa et transactione Westphalica iudicantur, nec iura et obligationes ex his sanctionibus pragmaticis oriunda respiciunt; eae omnes cognitioni tribunalium imperii, quibus ex formula imperii iurisdictio ecclesiastica propie sic dicta data non est, nulla ratione obnoxiae sunt, sed ab ea-

dem omnino liberae. Quam immunitatem cum Status Romanae ecclesiae addicti ea ratione tueantur, vt in his caussis nullas prorsus tribunalium imperii partes agnoscant: non minori profecto iure Status euangelici eandem et olim tuiti sunt, et hodienum pro exacta, quae inter vtriusque religionis consortes intercedit, iurium aequalitate tuentur.

VII.

Videlicet si ab origine rem repetimus, si ad nascentis ecclesiae tempora animum aduertimus, eius natales in eam aetatem incidunt, qua omne fere imperium sacrum, imperio ciuili Imperatoris omnino subductum, ex parte penes pontificem fuerat ex parte penes Germaniae episcopos aliosque antistites, idque ad illud iniustitiae culmen euectum, vt in conscientias vis exerceretur. Sub hoc iugo gemebat veritatem agnoscendi eamque defendendi libertas; sub eodem nec veritas religionis euangelicae vires capere, nec res euangelicae stare poterant. Quod supererat promouendae veritatis

ritatis salutisque ecclesiae tuendae vnicum remedium, illud in eo positum erat, vt quod ipsa naturae vox et diuina lex, imperium in conscientias respuens, iubebat, sacrum praelatorum alienae, eiusque inimicae, religionis imperium excuteretur.

Tanta iurium conversio ab ipsa ecclesia obtineri nunquam potuisset, nisi sub prouidentia, cura, tutela, aduocatia Principum Statuumque imp. sacris ipsius addictorum, quos velut Statores rerum euangelicarum inde a primordiis nascentis ecclesiae reuerebatur. Ab his libertas fidem amplectendi, eamque iure profitendi auctoritas ecclesiae data; ab his religionis securitas non immensis modo curis vigiliisque, sed propemodum sub terrarum suarum discrimine, sub vitae dignitatisque excelsae periculo procurata, defensa, et sub perpetuam tutelam publicam reuocata; adeo vt in aeternam Procerum Euangelicorum laudem et vere dici queat, ecclesiam nostram quidquid in Germania obtinuit

commodi, libertatis ſecuritatisque, id omne praeter Deum, cui et hoc ipſum debet, debere Ordinibus Imperii Euangelicis.

Quorum auſpiciis cum tandem eccleſiae naſcenti immunitas a praelatorum Romanae eccleſiae imperio impetrata eſſet; eidem eodem tempore non rectius proſpectum eſt, quam quod ordines imperii euangelici, *adſtipulante ipſa eccleſia*, ipſius eccleſiae cauſam agerent, rem ſacram moderarentur, et imperium ſacrum ſuo adiungerent vnirentque imperio ciuili, *iudiciis* ad iurisdictionem in cauſis eccleſiaſticis et matrimonialibus explicandam ipſorum auctoritate conſtitutis. Quod conſilium, ipſius religionis libertate et ſecuritate ſalutisque eccleſiae rationibus innixum, tandem ipſius imperatoris totiusque imperii comprobationem meruit, ipſis *praelatis eccleſiae Rom.* de quorum imperio contendebatur, conſenſum in id impertientibus, ne eorum iurisdictio eccleſiaſtica in eccleſia, Auguſtanae confeſſioni addicta, et in cau-

ſis

ſis ſacra emendata reſpicientibus exerceretur. Qua Pacis *religioſae* et *Weſtphalicae* prouidentia id effectum eſt, vt iura Statuum euangelicorum, in naſcente eccleſia *acquiſita*, et ſumma illa, quae poteſtati ciuili magiſtratuum euangelicorum *annexa* ſunt, iura ſacrorum in illuſtriori et ſecuriori loco ponerentur, tuta in poſterum aduerſus *antiſtitum diuerſae religionis* aſſertiones, libera omnino et immunia ab omni *poteſtatis imperialis*, cui *nec antea* obnoxia erant, nexu. Cuncta haec peracta ſunt ſub ipſius *Imperii R. G.* auſpiciis, ipſo *Imperatore* auctoritatem interponente: vt videlicet, quod inter *Romanae eccleſiae praelatos* et *Ordines Imperii Euangelicos* de imperio ſacro diſſidium intercedebat, amice et eousque, donec aliud mutua conuentione placeret, finiretur, et iurisdictioni eccleſiaſticae in naſcente eccleſia ſua conſtaret vis, auctoritas, et publica ſecuritas.

VIII.

Inter haec ita geſta, ita ſaepius agitata, ita conuenta, tantum abeſt, vt iu-

ris

ris alicuius, *Imperatori* in ſacra euangelicorum vel in iurisdictionem eorumdem tributi, vel *vllum veſtigium* appareat, vt potius ne tale quidem *a Caeſare* expetitum eſſe, vel ſaltem in *quaeſtionem* vel *conuentionem* vlla ratione deductum eſſe, neminem, qui iure id affirmare audeat, fore confidam. Si vero neque *ante paces religioſas* vlla eccleſiaſticarum, et quae illarum iure cenſentur, matrimonialium cauſarum cognoſcendarum poteſtas penes imperatorem et imperii iudicia fuit, formula imperii inde a ſeculo XII. id comprobante; ſi porro ſacrorum reformatione peracta, *nulla imperii lege*, neque pace religioſa neque pace Weſtphalica, haec illis poteſtas conceſſa eſt: neminem exiſtimaturum credo, iudicio vllam iurisdictionis eccleſiaſticae partem vindicari poſſe, quae ex legibus imperii *olim negata* nec vlla *nouioris legis* auctoritate tributa eſt. Itaque in imperii tribunalibus, omnis in cauſis Euangelicorum iurisdictio eccleſiaſtica exulat perinde vt in cauſis Romanae eccleſiae addictorum,

et

et iura vtriusque religionis consortium in hoc argumento adeo omnino aequalia sunt, vt causae eorundem ecclesiasticae nec per ascititios colores, veluti ob *earum nexum* cum caussis secularibus, vel sub tegmine *protractae* vel *denegatae iustitiae*, vel sub specie quaestionis *in facto* consistentis, vel sub colore *nullitatis* in cognoscenda causa admissae, ad iudicia imperii reuocari queant.

IX.

Quae cum ita sint, facile est ad intelligendum, neque legibus neque iuris principiis inniti eam opinionem, qua Imperatorem pro summo in ecclesia Euangelicorum iudice esse habendum a nonnullis existimatur. Sed perpendere paucis et sub examen reuocare iuuabit argumenta, quibus eandem adstruere censuit, quem antea nominaui ICtus Bambergensis.

Ex sententia videlicet nostratium haec ex imperii annalibus recenset momenta ad efficiendum, iura circa sacra Imperatori

xilio a fictione argumentum repetit, id, quod fingit, nunquam contigisse largitur, reique veritatem commento et imagine adumbrare contendit. Iura ergo Caesarea in sacris euangelicorum restituta non esse oportet, si eorum restitutio ex *commenta fictione* iuris postliminii est repetenda. An suspensa forte olim tantum sunt caesarum iura in sacris, vt locum inuenire potuerit iuris cuiusdam suspensi restitutio? Ita enim in iure nostro vocatur postliminium. Certe si pacto Henriciano, si per ista concordata non suspensa sed *sublata* sunt iura Imperatoris in Sacris: frustra fingitur postliminium. Quae quidem suspenduntur iura, subinde reuiuiscere constat: at iura, quae *sublata* sunt quaeque esse desierunt, sua sponte renasci, et quae interierunt, ipso iure resuscitari, a ratione et omni iure alienum est. *Nouam* interuenire oportuisset *constitutionem* ad iura caesarea, diu *antiquata*, reuocanda et restituenda. Sed de hac neque cogitatum neque actum est inter pacis tractatus, eaque ne ab Imperatore quidem

dem expetita; quin potius cum de exercitio imperii ſacri lis non niſi inter *Ordines imperii euangelicos* et *praelatos Romanae eccleſiae* intercederet, haec ipſius Imperatoris ſtatuumque imperii conſenſu ita definita eſt, vt eccleſiae Euangelicae *immunitas* ab omni alienae iurisdictionis eccleſiaſticae exercitio data, et omne ius circa ſacra, quale olim penes eccleſiae Romanae antiſtites fuerat, vnitum coniunctumque ſit cum imperio ſeculari ſtatuum magiſtratuumque Euangelicorum, imperatori vero nihil noui iuris tributum ſit.

X.

Sed alia praeterea ab ipſa *reformationis ſacrorum* hiſtoria ducuntur argumenta, quaſi Imperator iurisdictionem in Sacris euangelicorum adeo omnino exercuerit, vt ſtatus eccleſiaſticus *iſtius temporis* ſtatui publico eccleſiaſtico ſub *ſtemmate carolingico* adeo ſimilis ſit, vt ouum ouo: inde enim Carolum V. circa doctrinam publicam et cultus diuini rationem nonnulla ſanxiſſe, et de concilio

cilio conuocando eoque dirigendo non minus follicitum fuisse, quam illud expetierint status euangelici.

Verum enim vero singula et vniuersa, quae sacrorum repurgatorum historia suggerit, animo perpendentes, eorum alia ad minuendum reprimendumque veritatis renascentis religionisque efflorescentis progressum inter ipsa religionis dissidia acta et tentata esse, alia ad religionis dissidia componendi remedia pertinere deprehendimus. Illa cum nunquam probata, quin potius a statibus imperii euangelicis *impugnata*, denique per paces religiosas *euersa* sint, euincendo iuri caesareo nulla omnino ratione inseruiunt. Numquam caesarum auctoritas eo valuit, vt *doctrina publica* imperari et praescribi potuerit. Naturalem sacrorum libertatem a primordiis nascentis ecclesiae tuiti sunt status Euangelici, peruicitque eorum sententia, ne plurium quidem suffragiorum in causis religionis habendam esse rationem, sed sola amicabili compositione

 hoc

hoc genus caufarum definiendum effe. Quae fi in concilio, moderante Imperatore, obtineri poffet, hoc expetierunt: contra id iure repudiarunt, fi fuffragiorum numero, inidoneo omnino veritatem definiendi modo, locus relinqueretur. Caefaris in eodem moderando auctoritatem agnouerunt; eiusdemque in promouendis, quae ad *religionis diffidia* amice tollenda pertinent, remediis fupremam follicitudinem venerati funt: in caufis ecclefiafticis vero tantum abeft vt eiusdem vllam iurisdictionem agnouerint, vt potius *imperator ipfe* eandem contra formulam imperii fibi afferere, ne quidem defiderauerit.

XI.

Praetermittimus id, quod inique obiiciunt, qui religionem puriorem in negotium ftatus fecularis ideo abiiffe fomniant, quod ecclefia fit collegium in et fub republica: qui porro ex eo, quod ius in facra cum imperio territoriali fit vnitum, caufas ecclefiafticas fecularium caufarum formam induiffe, ipfumque imperium

imperium ſacrum ideo imperatori ſubiectum eſſe opinantur.

Sane *cauſarum eccleſiaſticarum* natura, ex poteſtate de eis ſtatuendi in *principes* translata, non minus immutatur, ac *ſecularium cauſarum* indoles ex eo corrumpitur et adulteratur, quod de illis *praelati* ſtatuant iudicentque, et quod *ſecularis iurisdictio* iuncta ſit *ſacerdotio*. Perſtitit ſua ſingulis cauſis ratio, quam *ſua natura*, et ex *iure communi legibusque publicis* ſortiuntur. Antiqua haec eſt *imperii Germanici formula*, iurisdictionem eccleſiaſticam *exemtam* eſſe ab omni imperatoris et imperii iure, eamque illa *immunitatem* ſeruat, ſiue ſit penes *praelatos* ſiue penes *principes Euangelicos*; ſiue eadem ſeparata ſit, ſiue vnita cum imperio territoriali. Vnio iſta poteſtatis ſacrae et territorialis in principe euangelico, facta eſt ſaluis iuribus praecipuis, quibus poteſtas ſacra *ex formula imperii* fruitur. Quae vi illius agit princeps Euangelicus, ſeu quae agit *vi iuris epiſcopalis*, vt lo-

 qui

commodi, libertatis ſecuritatisque, id omne praeter Deum, cui et hoc ipſum debet, debere Ordinibus Imperii Euangelicis.

Quorum auſpiciis cum tandem eccleſiae naſcenti immunitas a praelatorum Romanae eccleſiae imperio impetrata eſſet; eidem eodem tempore non rectius proſpectum eſt, quam quod ordines imperii euangelici, *adſtipulante ipſa eccleſia*, ipſius eccleſiae cauſſam agerent, rem ſacram moderarentur, et imperium ſacrum ſuo adiungerent vnirentque imperio ciuili, *iudiciis* ad iurisdictionem in cauſis eccleſiaſticis et matrimonialibus explicandam ipſorum auctoritate conſtitutis. Quod conſilium, ipſius religionis libertate et ſecuritate ſalutisque eccleſiae rationibus innixum, tandem ipſius imperatoris totiusque imperii comprobationem meruit, ipſis *praelatis eccleſiae Rom.* de quorum imperio contendebatur, conſenſum in id impertientibus, ne eorum iurisdictio eccleſiaſtica in eccleſia, Auguſtanae confeſſioni addicta, et in cau-

ſis

ſis ſacra emendata reſpicientibus exerceretur. Qua Pacis *religioſae* et *Weſtphalicae* prouidentia id effectum eſt, vt iura Statuum euangelicorum, in naſcente eccleſia *acquiſita*, et ſumma illa, quae poteſtati ciuili magiſtratuum euangelicorum *annexa* ſunt, iura ſacrorum in illuſtriori et ſecuriori loco ponerentur, tuta in poſterum aduerſus *antiſtitum diuerſae religionis* aſſertiones, libera omnino et immunia ab omni *poteſtatis imperialis*, cui *nec antea* obnoxia erant, nexu. Cuncta haec peracta ſunt ſub ipſius *Imperii R. G.* auſpiciis, ipſo *Imperatore* auctoritatem interponente: vt videlicet, quod inter *Romanae eccleſiae praelatos* et *Ordines Imperii Euangelicos* de imperio ſacro diſſidium intercedebat, amice et eousque, donec aliud mutua conuentione placeret, finiretur, et iurisdictioni eccleſiaſticae in naſcente eccleſia ſua conſtaret vis, auctoritas, et publica ſecuritas.

VIII.

Inter haec ita geſta, ita ſaepius agitata, ita conuenta, tantum abeſt, vt iuris

ris alicuius, *Imperatori* in sacra euangelicorum vel in iurisdictionem eorumdem tributi, vel *vllum vestigium* appareat, vt potius ne tale quidem *a Caesare* expetitum esse, vel saltem in *quaestionem* vel *conuentionem* vlla ratione deductum esse, neminem, qui iure id affirmare audeat, fore confidam. Si vero neque *ante paces religiosas* vlla ecclesiasticarum, et quae illarum iure censentur, matrimonialium causarum cognoscendarum potestas penes imperatorem et imperii iudicia fuit, formula imperii inde a seculo XII. id comprobante; si porro sacrorum reformatione peracta, *nulla imperii lege*, neque pace religiosa neque pace Westphalica, haec illis potestas concessa est: neminem existimaturum credo, iudicio vllam iurisdictionis ecclesiasticae partem vindicari posse, quae ex legibus imperii *olim negata* nec vlla *nouioris legis* auctoritate tributa est. Itaque in imperii tribunalibus, omnis in causis Euangelicorum iurisdictio ecclesiastica exulat perinde vt in causis Romanae ecclesiae addictorum,

et

et iura vtriusque religionis consortium in hoc argumento adeo omnino aequalia sunt, vt causae eorundem ecclesiasticae nec per ascititios colores, veluti ob *earum nexum* cum caussis secularibus, vel sub tegmine *protractae* vel *denegatae iustitiae*, vel sub specie quaestionis *in facto* consistentis, vel sub colore *nullitatis* in cognoscenda causa admissae, ad iudicia imperii reuocari queant.

IX.

Quae cum ita sint, facile est ad intelligendum, neque legibus neque iuris principiis inniti eam opinionem, qua Imperatorem pro summo in ecclesia Euangelicorum iudice esse habendum a nonnullis existimatur. Sed perpendere paucis et sub examen reuocare iuuabit argumenta, quibus eandem adstruere censuit, quem antea nominaui ICtus Bambergensis.

I. Ex sententia videlicet nostratium haec ex imperii annalibus recenset momenta ad efficiendum, iura circa sacra Imperatori

xilio a fictione argumentum repetit, id, quod fingit, nunquam contigiſſe largiatur, reique veritatem commento et imagine adumbrare contendit. Iura ergo Caeſarea in ſacris euangelicorum reſtituta non eſſe oportet, ſi eorum reſtitutio ex *commenta fictione* iuris poſtliminii eſt repetenda. An ſuſpenſa forte olim tantum ſunt caeſarum iura in ſacris, vt locum inuenire potuerit iuris cuiusdam ſuſpenſi reſtitutio? Ita enim in iure noſtro vocatur poſtliminium. Certe ſi pacto Henriciano, ſi per iſta concordata non ſuſpenſa ſed *ſublata* ſunt iura Imperatoris in Sacris: fruſtra fingitur poſtliminium. Quae quidem ſuſpenduntur iura, ſubinde reuiuiſcere conſtat: at iura, quae *ſublata* ſunt quaeque eſſe deſierunt, ſua ſponte renaſci, et quae interierunt, ipſo iure reſuſcitari, a ratione et omni iure alienum eſt. *Nouam* interuenire oportuiſſet *conſtitutionem* ad iura caeſarea, diu *antiquata*, reuocanda et reſtituenda. Sed de hac neque cogitatum neque actum eſt inter pacis tractatus, eaque ne ab Imperatore quidem

dem expetita; quin potius cum de exercitio imperii ſacri lis non niſi inter *Ordines imperii euangelicos* et *praelatos Romanae eccleſiae* intercederet, haec ipſius Imperatoris ſtatuumque imperii conſenſu ita definita eſt, vt eccleſiae Euangelicae *immunitas* ab omni alienae iurisdictionis eccleſiaſticae exercitio data, et omne ius circa ſacra, quale olim penes eccleſiae Romanae antiſtites fuerat, vnitum coniunctumque ſit cum imperio ſeculari ſtatuum magiſtratuumque Euangelicorum, imperatori vero nihil noui iuris tributum ſit.

X.

Sed alia praeterea ab ipſa *reformationis ſacrorum* hiſtoria ducuntur argumenta, quaſi Imperator iurisdictionem in Sacris euangelicorum adeo omnino exercuerit, vt ſtatus eccleſiaſticus *iſtius temporis* ſtatui publico eccleſiaſtico ſub *ſtemmate carolingico* adeo ſimilis ſit, vt ouum ouo: inde enim Carolum V. circa doctrinam publicam et cultus diuini rationem nonnulla ſanxiſſe, et de concilio

cilio conuocando eoque dirigendo non minus ſollicitum fuiſſe, quam illud expetierint ſtatus euangelici.

Verum enim vero ſingula et vniuerſa, quae ſacrorum repurgatorum hiſtoria ſuggerit, animo perpendentes, eorum alia ad minuendum reprimendumque veritatis renaſcentis religionisque effloreſcentis progreſſum inter ipſa religionis diſſidia acta et tentata eſſe, alia ad religionis diſſidia componendi remedia pertinere deprehendimus. Illa cum nunquam probata, quin potius a ſtatibus imperii euangelicis *impugnata*, denique per paces religioſas *euerſa* ſint, euincendo iuri caeſareo nulla omnino ratione inſeruiunt. Numquam caeſarum auctoritas eo valuit, vt *doctrina publica* imperari et praeſcribi potuerit. Naturalem ſacrorum libertatem a primordiis naſcentis eccleſiae tuiti ſunt ſtatus Euangelici, peruicitque eorum ſententia, ne plurium quidem ſuffragiorum in cauſis religionis habendam eſſe rationem, ſed ſola amicabili compoſitione

imperium ſacrum ideo imperatori ſubiectum eſſe opinantur.

Sane *cauſarum eccleſiaſticarum* natura, ex poteſtate de eis ſtatuendi in *principes* translata, non minus immutatur, ac *ſecularium cauſarum* indoles ex eo corrumpitur et adulteratur, quod de illis *praelati* ſtatuant iudicentque, et quod *ſecularis iurisdictio* iuncta ſit *ſacerdotio*. Perſtitit ſua ſingulis cauſis ratio, quam *ſua natura*, et ex *iure communi legibusque publicis* ſortiuntur. Antiqua haec eſt *imperii Germanici formula*, iurisdictionem eccleſiaſticam *exemtam* eſſe ab omni imperatoris et imperii iure, eamque illa *immunitatem* ſeruat, ſiue ſit penes *praelatos* ſiue penes *principes Euangelicos*; ſiue eadem ſeparata ſit, ſiue vnita cum imperio territoriali. Vnio iſta poteſtatis ſacrae et territorialis in principe euangelico, facta eſt ſaluis iuribus praecipuis, quibus poteſtas ſacra *ex formula imperii* fruitur. Quae vi illius agit princeps Euangelicus, ſeu quae agit *vi iuris epiſcopalis*, vt lo-

 qui

qui veteres eo animo ſolent, vt imperium ſacrum tantum *annexum* poteſtati territoriali eſſe oſtenderent, in iis non niſi ab *eccleſiae ſalute* et iuribus, a *pace religioſa* et a pactis, quibus *ſuae eccleſiae* obſtrictus eſt, circumſcriptam habet poteſtatem, liberam ceteroquin ab omni *ſuperioris cuiusque* imperio.

XII.

Sed vereor A. ne prolixiori ſermone in veſtram peccem humanitatem et beneuolentiam, cum et ſuperſint, quae vel primo loco dicere, quae commendare vobis, Amantiſſimi academiae ciues, magiſtratus, ad vim et auctoritatem legum tuendam conſtituti, rationes poſtulant. Nihil quidem noui, quod, praetorum more, ſub muneris auſpiciis ſit edicendum, nihil eorum, quod vobis iuſtum honeſtumque videatur, quaſi id ignoretis, vel quod vos praemuniatis, palam denunciandum eſt. Leges grauiſſimae, quibus veſtra ſalus continetur, leges regiae, leges ſingulis ſigillatim, vt ſuae quisque ſaluti ex iisdem proſpiciat,

ciat, insinuatae, leges, inquam, sunt, quarum obsequium exoptamus omnes, quarum sententiam sub magistratus auspicium vobis in memoriam reuocare, et vestra interesse videtur. Age itaque, Vir Excellentissime, qui simul vniuersitati nostrae a secretis es, et summa legum regiarum capita in lectissima et florentissima ciuium concione recita.

L E G E S.

Si quid est in votis, si quid est in quo pro vestra, Ciues Amantissimi, salute conspirant Patrum academiae vota, hoc ipsum est, vt sapientissimae, in quibus vestra salus agitur, Leges, imis pectoribus infixae permaneant, vtique custodiantur diligenter, nec in vlla earum parte consulta ratione violentur. Hoc vestra salus iubet, hoc a vestra, quae ad recte agendum sua sponte ducit, indole et virtute, hoc in ipsa scientiarum officina ab eo literarum cultu, qui ad humanitatem vocat, idemque ab ea modestiae laude, quam praeclara ad virtutem

contentione dudum nacti estis, laeti expectamus. His studiis, quae in vestra et patriae commoda vergunt, gratiorem tolerabilem et felicem ex maxima parte efficietis, quae vestri causa mihi delata est, provinciam. Quae cum iisdem ex bono vestro legibus circumscripta est, in quibus vestra causa vertitur, tum illa eodem ego animo defungar, qui in vestra commoda ducitur.

Votis adspiret supremum Numen, efficiatque, vt haec academia sit et permaneat perpetuum reipublicae et ecclesiae seminarium, in quo educentur et perficiantur, qui olim rerumpublicarum curam feliciter agant, qui iudicum munere digne fungantur, qui olim religionis causam religiose curent, qui omnis generis munera prudentissime gerant. Conseruet diuinum et propitium Numen Regem Nostrum Augustissimum, vt in tutela nutricii sui munificentissimi academia diu laeta assurgat. Saluum diu et incolumen praestet Serenissimum Walliae Principem, Patriae et populi delicias.

delicias. Seruet Domum regiam, eamque in fecula florentem praeftet. Seruet auguftiffimi principis rerum Pacis et belli purpuratos adminiftros, in iisque indulgentiffimum academiae Curatorem, in cuius incolumitate fummum rerum noftrarum praefidium ineffe, grata mente profitemur. Seruet academiae proceres, viresque atque facultates largiatur, vt partibus demandatis ex voto regis et in fpem patriae omnes defungi queamus. Vota rata effe iubeat, qui viuit et regnat ab aeternis temporibus in omnem aeternitatem Deus vnus et trinus, creator, redemtor et illuftrator humani generis beneficentiffimus, cui fit laus et honor et gloria in fecula fempiterna. Dixi.





OBSERVATIO VI.

DE

ADVOCATIAE ECCLESIASTICAE CVM IVRE PATRONATVS NEXV.

ARGVMENTVM

§. I. *Aduocatia ecclesiastica quid? Eius acquisitio.*
II. *Duplex, tum ecclesiae tum bonorum ecclesiasticorum.*
III. *Iura, quae ei insunt.*
IV. *Ius Patronatus eiusque indoles.*
V. *Nexus vtriusque iuris.*
VI. *Iuri patronatus datum est nomen aduocatiae.*
§. VII. *In quo conueniat vtrumque ius maxime intuitu prouisionis beneficiorum,*
VIII. *et olim intuitu iuris custodiae.*
IX. *Vtriusque iuris discrimina.*
X. *Ius patronatus intuitu bonorum ecclesiasticorum competens, protectionem et aduocatiam priuatam continet.*

§. I.

Cum de *aduocatiae ecclesiasticae cum iure patronatus nexu* tractare constitui: de vtriusque iuris indole et ratione quaedam delibanda esse videntur.

tur. *Aduocatia ecclesiastica* non vno iure absoluitur, sed continet *complexum iurium, in ecclesiam eiusue bona intuitu defensionis competentium.* Per *defensionem ecclesiae eiusue bonorum* determinantur iura omnia, quae *aduocatiae* insunt, siue sint publica siue priuata defensionis iura: eique ideo inest *potestas publica efficiendi, vt iura, quae ecclesiae in republica competunt, salua et integra persistant.* Iam ex Francorum institutis inualuit, vt ecclesiae, monasteria, aliaue corpora ecclesiastica, quae omnia ecclesiae nomine veniunt, ex potentioribus aduocatos nanciscerentur, tum constitutos a regibus tum ab ipsis ecclesiis electos; cuius instituti (*a*), maxime in ecclesiis immediatis, haec praecipua ratio fuit; quod fere omnes *immunitate* a Ducum Comitum ordinario-

rumque

(*a*) De quo erudite egerunt Viri Celeb. ES. FRID. PVFFENDORFFIVS de *iurisd. Germ. p. 325.* et CHRIST. VLR. GRVPEN *in Orig. et Antiq. Hannoueren*s*. p. 205.* NIC. AB HONTHEIM in *hist. Treuirens. Dipl. Tom. I. p. 341.*

rumque iudicum iurisdictione ratione bonorum et latifundiorum ipsis collatorum ex Regum largitione fruerentur. Hac indulta immunitate non id actum est, vt iurisdictio secularis in homines ecclesiae transiret in ecclesiae Praesules (*b*), quin potius ecclesiae prospectum est peculiaribus velut et propriis iudicibus, constitutis protectoribus et aduocatis, quibus, etiam ab ecclesia electis, Principali auctoritate potestas publica, bona et iura ecclesia legum auctoritate tuendi, commendata est (*c*). Praeter Aduocatiam, quae ex imperatorum regumque constitutione descendit, alia *iure fundationis* ecclesiarum competere coepit. Quod votum erat illustrium ecclesiae conditorum, vt ecclesiae a se fundatae

(*b*) Conf. V. C. IO. GOTTL. GONNE de *Ducatu Franciae Orientalis* §. *XXV*.

(*c*) In Charta permutationis bonorum pro Monasterio S. Maximini de a. 926. ap. NIC. AB HONTHEIM in *histor. dipl. Trevir. tom. I. p. 269.* refertur Wolmarus aduocatus, *cui Wormatiae in publico Mallo officium aduocationis traditum est ab Henrico* Aucupe.

fundatae iura ſalua permanerent, eius rei efficiendae negotium ſuum eſſe cenſentes, in ipſis fundationis tabulis pro eo, quod eſt conditorum ius, rei ſuae quam velit, legum dicendi, eam iurisdictionem, quam *ante fundationem* dotationemque in praediis donatis exercuerunt, ſub nomine aduocatiae ſibi reſeruarunt (*d*); praeſertim cum eo tem-

tempore

(*d*) Hermannus Comes in fundatione monaſterii Inſulae S. Mariae Marienwerder in dioeceſi Verdenſi in charta de a. 1161. *ſeptem Manſos hereditatis ſuae* eà ratione donauit *vt ipſe eiusque filius, vel ſi filii defuerint, quicunque ſenior in cognatione eſſet, defenſor et aduocatus eiusdem eccleſiae diceretur et eſſet.* Vid. LVDEWIGII *reliq. tom. IX. p. 497.* Henricus VII. in dipl. de a. 1225. pro monaſterio Scheftersheimenſi in CHRIST. ERNESTI HANSELMANNI tr. *von der Landeshoheit des Hauſes Hohenloh. in app. N. XIX. p. 395.* ſibi iure fundationis tribuit aduocatiam. *Quia ipſum monaſterium in fundo patrimonii noſtri conſtat eſſe fundatum, nullum ſuper ſe et bona ſua praeterquam nos recognoſcat et teneat Aduocatum.* Gerhardus Nobilis de Monte in charta pro monaſterio Lodenſi de a. 1286. in CHRIST. LVDOV. SCHEID tr. *von hohen und Nieder-Adel in app. p. 527.* prouocat ad ius fundationis, *attendentes, quod huiusmodi clauſtrum a noſtris eſt fundatum parentibus et dotatum, ad*

hoc

tempore clerici fecularia iura non tractarent, et cauendum videretur, ne cura iftorum fufcepta a functionibus ecclefiafticis auocarentur. Inftitutum illud, cum fundatione, ecclefiae adeo proficua, connexum, non improbatum eft canonibus, quin potius pro iure habitum eft (e), *iure fundationis* competere aduocatiam, fi modo iura, quae aduocatiae infunt, fundatoribus in praediis donatis antea competierant.

§. II.

hoc tenemur et teneri volumus, quod eaedem forores defenfari debeant in aduocatia praedicta; et quicunque poft mortem noftram nobis fucceſſerit et dominii ius obtinuerit, dictas forores tuebitur in eadem. Exempla per multa aduocatiarum vi fundationis acquifitarum, exhibet MART. MAGERVS A SCHOENBERG *de aduocat. armata* cap. IX. n. 442-530. et IO. NIC. HERTIVS *de iactit. ord. cift. exemt. a fuperiorit.* cap. III. §. X.

(e) *Conf. c. 32. et 34. C. XVI. qu. 7. c. 13. de elect. in 6.* ib. *Qui autem ab ipfarum ecclefiarum ceterorumque locorum* FVNDATIONE *vel ex antiqua confuetudine iura fibi huiusmodi vindicant*, qualia videlicet ante exponuntur, *cuftodia, guardia, aduocatio feu defenfio in ecclefiis, monafteriis, feu quibuslibet aliis piis locis.* Ad gereralem confuetudinem prouocat *Henricus* IV. in tabulis pro monafterio Hirfaugienfi apud TRITHE-

§. II.

Duplicem in ecclesiis aduocatiam occurrere, annales ostendunt, aliam ipsius *ecclesiae*, aliam *bonorum ecclesiasticorum*. Illa ecclesiam eiusque iura generatim concernit ad certa bona haud adstricta: haec ad certa bona ecclesiastica adstricta est (*f*). Non infrequens est, in vna eademque ecclesia plures numerari aduocatos, vnum *principalem* ecclesiae aduocatum, reliquos *particulares* (*g*): id quod contigit eo frequentius, cum largitores praediorum maiorum sibi haberent seruarentque eorumdem aduocatiam, et hinc tot saepius in vna

TRITHEMIVM *in Chronico ad* a. 1064. vbi aduocato tribuitur *tertium bannum et consuetudinaria iustitia et lex quam celeri aduocati in aliis liberis monasteriis habent super fures, propteriam et censuales, et cetera talia.* Conf. ANT. DAD. ALTESERRA *de ducib. et Comit. cap. VI. p.* 45. FRANC. DE ROYE *de iure patron. cap. XV. et* MAGERVS *l. c. n.* 530.

(*f*) *Aduocatia certorum mansorum* frequenter appellatur apud KETTNERVM in *antiquit. Quedlinburg.* p. 255. 257. 261. 295.

(*g*) vid. HERTIVS *l. c. sect. III. §. XII.*

vna ecclesia numerarentur aduocati, quot eiusdem essent praedia maiora. Obseruat SCHANNATVS (*h*), praeter vnum Ecclesiae Fuldensis principalem Aduocatum Comitem de Ziegenhain, iam seculo IX. nominatim recenseri XVIII. *particulares* bonorum aduocatos. In diplomate Friderici I. de a. 1188. pro ecclesia SS. Simonis et Iudae Goslariensi (*i*) tum recensentur plures aduocati particularium videlicet praediorum, quorum excessus Imperator coercet, tum mentio iniicitur *bonorum, aduocatorum onere carentium:* quamquam ipsa ecclesia iure fundationis aduocatiae Imperiali speciali esset obnoxia, quam procurabat aduocatus, ab Imperatore constitutus; qualis erat Albertus Marchio Brandenburgicus, Goslariensis ecclesiae *post Regem aduocatum* se nominans in diplomate de a. 1155. (*k*).

§. III.

(*h*) in *histor. Fuld. P. II. c. 2. §. I. p. 75.*

(*i*) *apud* IO. MICH. HEINECCIVM *in antiquit. Goslar. lib. 2. p. 185.*

(*k*) apud HEINECCIVM *l. c. p. 154.* Ceterum a particularibus aduocatis longe differunt *sub-*

ad-

§. III.

Cum aduocatia ecclesiastica non minus *publica* quam *priuata* defensionis iura complectatur: eam quoque tamquam *publicam potestatem* consideramus; siquidem non minus virtute *imperii ciuilis* indeque factae *concessionis*, quam *vi iurisdictionis*, in praediis ecclesiae donatis iam antea competentis, exercita est. Ex quo intelligitur, efficacem omnino sub ea contineri potestatem ad iura et bona ecclesiae salua et integra praestanda: quae in eorum defensione, in cura inde dependente, ne alienarentur,

aduocati, quibus vicarium aduocatiae exercitium ex mandato exercendum committebatur. Hos nimiis exactionibus graues expertae sunt ecclesiae, de iisdem non admittendis vehementer laborantes. Idque sub Conrado III. et Friderico I. interdictum esse monet WILH. FRID. PISTORIVS *in obs. hist. de Comitib. P. II. p. 186.* ad cuius rei illustrationem facit diploma CONRADI III. pro ecclesia Havelbergensi de a. 1150. in GE. GOTTF. KÜSTERI *Collect. March.* Part. 17. p. 128. *Subaduocatos vero omnino interdicimus, quos etiam communis lex totius regni nostri ab aduocatiae iusto iudicio remouet.* Idem repetitum in dipl. FRIDERICI I. *de a. 1179. ibid. p. 134.*

narentur, nec non ſubinde in fideli iurium bonorumque ſecularium adminiſtratione, ad ea tuenda non minus comparata, occupata eſt (*m*). Placuit inde *defenſionis*, *defenſorumque* vocabulum ad iura aduocatiae deſignanda (*n*): cuius vim neruoſe ita exprimit Burchardus Comes de Lutterberg, eccleſiae Polédenſis

(*m*) Officium aduocati eccleſiaſtici Gottfriedus de Hohenloh in charta a. 1244. in v. c. CHRIST. ERN. HANSELMANNI tr. *von der Landeshoheit des Hauſes Hohenloh in app. XXXII. p.* 405. ita exprimit: *tam ego quam omnes heredes et ſucceſſores mei tueri tenebimur ipſam eccleſiam in bonis eiusdem in omnibus eius iuribus, prout ſpectat ad officium aduocati.*

(*n*) Defenſionis vis in diplomate fundationis eccleſiae Ohringenſis de a. 1037. apud HANSELMANNVM *l. c. N. II. p.* 364. ita proponitur. *Burchardum Comitem de Camburg praedicto loco aduocatum deſignaui, vt ſtrenuus et ſtudioſus creditae ſibi poteſtatis executor exiſteret, ſcilicet in aduerſis eccleſiam defenſando, propugnando, rebelles inhibendo, murum ſe ex aduerſo opponendo, in proſperis vero blandiendo, fouendo, ſubueniendo, clericis ſerenum ſe ingerendo, atque vt ipſos et res eorum ſiue colonos nulla petitionum vel exactionum opportunitate vel heſpitandi moleſtia grauaret. Gebhardus de Arnſtein in charta a. 1211. in* PHIL. WILH. GERKEN *fragm. March. P. III. n. 2. p. 3. defenſionem*

ſis aduocatus, in formula chartae de a. 1241. (o) *cuius*, (aduocatiae) *ratione bonis eiusdem ecclesiae dominabar.* Defenſio publica non *armis* modo ſed et ſine illis, non in *iudicio* modo, ſed et *extra illud*, interpoſitis officiis, praeſtatur. Non minor eius vis poſita eſt in *iudiciaria poteſtate*, qua, ſuſcepta ſecuritatis publicae tutela, efficitur, vt *iura et bona ſingulorum aduerſus aliorum iniurias ſalua* ſint, et ſuum cuique tribuatur. Ita fere comparata fuit aduocatia eccleſiaſtica, cuius vel praecipua pars in iurisdictione ſeculari per praedia eccleſiaſtica poſita eſt; vt videlicet eccleſiae, ab ordinariorum iudicum iurisdictione intuitu bonorum exemtae, his velut propriis iudicibus vterentur (*p*). Quid vero quantumue iuris

ſenſionem eccleſiae Litzkenſis cum iudicio in ſubditos illius nominatim ſuſcipit, ſe *defenſorem et iudicem ſubditorum* futurum repromittens. Sublimis aduocatiae vis exprimitur in elogio *Defenſoris fidei*, quo *Reges Angliae* diſtinguuntur.

(*o*) apud Dn. SCHEIDT *loc. cit. n. LXVII. p. 351.*

(*p*) Teſtimonia iurisdictionis aduocatis conceſſae collegit V. C. Dn. GRVPEN in antiquit. Hanoverenſib. p. 217. 227. p. 233.

ris aduocatis in singulis ecclesiis relictum sit, illud ab aduocatiae *constitutione*, a *fundationis legibus*, et ab ipsa denique *obseruantia* pendet. Singularium fere ecclesiarum propria et particularia iura eo ipso tempore fuerunt, quo aduocatiae vel maxime floruerunt; nec ex eadem formula aestimari possunt aduocatorum ecclesiasticorum iura (*q*). Aliis omnis iurisdictio *ciuilis* et *criminalis*,

(*q*) Iura aduocatorum in Abbatia S. Maximini variis constitutionibus de a. 963. 1054. 1056. et 1122. definita exhibet NIC. AB HONTHEIM in *hist. dipl. eccl. Treuirens. tom. 1. p. 300. 397. 399. 494.* Ordinationem de iuribus Aduocatorum Abbatiae Epternacensis de a. 1059. exhibet *ibid. p. 443.* et de iuribus aduocatorum abbatiae Prumensis de a. 1102. *ibid. p. 480.* Singularis determinatio iurium aduocatiae est in litteris Ottonis Aduocati Frisingensis de a. 1164. in CAR. MEICHELBECKII *hist. Frisingens. tom. I. p. 361.* qua adstringitur ad tres causas colonorum ecclesiae, *videlicet si aliquis eorum matrimonium contraxit in damnum ecclesiae cum non sua pari vel non liberae conditionis muliere, item qui pugnaces inter eos et percussores inueniuntur, et si quidam furto inueniuntur, nobis respondebunt.* Quantum interfuerit ecclesiae, colonos illius cum ancilla vel libertina extranea non contrahere matrimonium, intelligitur ex tabulis similis argumenti de a. 1225.

lis, aliis *sola criminalis* competiit, eaque subinde ad causas sanguinis et maiora crimina vindicanda adstricta *(r)*: vltimum frequenter contigisse, mirum non videbitur perpendenti, iurisdictionis criminalis exercitium a statu ecclesiastico alienum existimatum esse, cum contra

1225. de iuribus Aduocati ecclesiae Aschaffenburgensis apud Generos. Dn. de GVDENVS *in Cod. diplom. t. II. N. XXVIII. p. 46. Si homines ecclesiae, quod tamen est cauendum, extra familias ecclesiae nupserint, ecclesia cum aduocato corriget. Et nec ecclesia, vt fiat, indulgebit; imo ne fiat, aduocatus bona fide ac efficaci studio se opponet. Si quis etiam ex eis, qui extra familias ecclesiae nupserint, forte morietur, diuisionem substantiae, quod Buteil dicitur, et primo genitum, quod Beste Heubt dicitur, ecclesia recipiet, non Aduocatus. Nec idem locationibus mansorum se ingeret.*

(*r*) Exempla vid. apud KETTNERVM *in antiq. Quedlinb. p.* 255. 257. 260. In charta Sigfridi Hersveldensis Abbatis de a. 1194. in LVNIGII *Corp. iur. feud.* tom. II. p. 1757. iurisdictio aduocati restringitur ad ea, *quae ad sanguinis effusionem spectant.* In diplom. Friderici Ducis Austriae pro monasterio ad S. Florianum d. a. 1243. in LVDEWIGII *reliqu.* tom. IV. p. 225. adiicitur ratio, cur iudicium sanguinis aduocato relinquatur, *quia huius iudicii executionem ordo ecclesiasticus sibi non vindicat nec adscribit.*

tra ipſi praeſules de acquirenda ciuili iurisdictione vehementer laborauerint (*s*). Aliis ſubinde *adminiſtratio bonorum iuriumque* eccleſiae ſimul commendata eſt: quanquam haec ſparta in plerisque eccleſiis *oeconomis*, ab ipſa eccleſia conſtitutis, relicta ſit (*t*).

§. IV.

Tranſeo ad *ius patronatus*, quod eſt *complexus iurium*, *intuitu fundationis in eccleſiam competentium* (*u*). Ita quidem ius patronatus accipiendum eſt,

(*s*) Gertrudis abbatiſſa Quedlinburgenſis, accepta aduocatiae certorum praediorum reſignatione in dipl. a. 1236. eccleſiae ſuae tribuit iurisdictionem, ita *vt quidquid placitandum euenerit, hoc coram eccleſiae praepoſita terminetur.* vid. KETTNERVM *l. c. antiq. Quedlinb. ſec. XIII. p.* 265.

(*t*) ANT. MATTHAEI de *nobilitate et aduoc. eccleſiar. lib. II. c. 29. p. 501.* HERTIVS l. c. *ſect. III.* §. *18.* Solent et ſubinde *vicedomini* vocari, de quibus docte egit illuſtr. GE. HENR. AYRERVS *de vicedominorum formula vetere* §. *9.*

(*u*) In eandem fere ſententiam FRANCISCVS DE ROYE *de iure Patronatus in Proleg. cap. I. p.* 2. illud vocat *ius*, *quod fundatori alicuius eccleſiae in ea competit.* Malui *rationem* iurium, quae

eſt, ſiue ex medii aeui ſiue ex nouioris aeui diſciplina aeſtimetur. Non ſolum *ius praeſentandi* ad beneficia, a fundatione pendens, quamquam id meliorem eius partem efficiat, ſed plura iura *honorifica*, omnia a fundatione eccleſiarum exorta, aliaque iura *vtilia*, a fundatione pendentia, ius patronatus conſtituunt. Immo ſubinde ius praeſentatione maius, ipſa videlicet *beneficii collatio*,

quae *in fundatione* continetur, exprimere. Poſt diu fundatas eccleſias ipſa iura, quorum ratio in fundatione continetur, ſalua perſiſtunt, et iuſto titulo in alios transferrri poſſunt. Eodem ſenſu FRANCISC. FLORENS in tr. de *iure Patronat. tom. II. op. p. 256.* ius patronatus vocat *ius ſingulare benigne conceſſum illis, qui fundauerunt dotauerunt aut inſtaurauerunt loca ſacra vel venerabilia, vel ſucceſſoribus eorum, quod in certis honoribus oneribus et commodis conſiſtit.* Cum haec iura *varia* eſſe poſſint: ius patronatus merito tamquam *complexus iurium* conſideratur, quae ex fundatione competunt. Poſſunt ergo ad illud referri omnia iura, quae ex fundatione proficiſcuntur: quamquam exinde non conſequatur, ea omnia iuri patronatus in ſingulis caſibus ineſſe. Quale enim ius patrono in ſingulis eccleſiis acquiſitum ſit, id ex fundationis ratione et conſtitutione huius iuris pendet. Inde patronorum iura perquam varia eſſe, ſatis conſtat.

latio, maxime si mores veteres spectamus, nonnunquam *ius nominandi*, saepe solum *ius consentiendi* in praesentationem ab altero factam, sub eo continetur; immo et datur ius patronatus, iure praesentandi destitutum, cui reliqua omnia iura honorifica insunt (*x*). Quid enim si patronus praesentandi ius dimitteret, seruatis reliquis omnibus iuribus honorificis? *Fundationis* voce in significatu *latiori* vtimur, quo exstructionem, dotationem, reaedificationem complectitur (*y*), et quo fundari ecclesia dicitur, quae erigitur seu constituitur. Iura omnia, quorum *ratio in fundatione* continetur, siue id fiat ex iuris Canonici dispositione siue ex lege fundationis, ad ius patronatus pertinent. Exinde vero inualuit iuris Canonici principium, eum qui assensu episcopi *ecclesiam construxit*, ex eo *ius patronatus* acqui-

(*x*) Conf. ESPENIVS *in iure eccl. vniuerso P. II. tit. XXV. c. V. n. 3.* FRANC. DE ROYE l. c. *cap. XX. p. 66.*

(*y*) Hunc significatum pluribus illustrat FR. DE ROYE *l. c. cap. XIII. p. 45.*

acquirere (z): naturale quippe eſt, fundatione acquiri, quae ab ea pendent iura.

§. V.

Quod ſupra obſeruauimus, aduocatiam eccleſiaſticam *iure fundationis* eccleſiarum frequenter competere, id quidem facit ad nexum eius cum *iure patronatus* oſtendendum. Namque cum hoc ius omnia iura complectatur, quae vi fundationis in eccleſiam competunt: conſequens eſt, *aduocatiam eccleſiaſticam*, quoad ex fundatione eccleſiae naſcitur, ſub *iure patronatus* comprehendi. Quod adeo verum eſt, vt *protectio eccleſiae* et cura pro tuendis conſeruandisque eius iuribus, quae non minima aduocatiae pars eſt, ad *patronorum* iura et officia referatur (a). Henricus Marchio Miſnenſis in charta de a. 1285. (b) profitetur, ſe Monaſterium Doberber-

(z) *c. 25. X. de iur. Patr.*

(a) *c. 32. et 34. C. XVI. qu. 7.*

(b) in IO. PETR. DE LVDEWIG *reliq. MStor. tom. I. p. 127.*

berlucence, a Maioribus suis fundatum (c), *in suam et suorum successorum tuitionem iure patronatus suscepisse.* Simon Nobilis dominus de Lippia Monachis Luccensibus a. 1309. donat *ius patronatus ecclesiae in Lodhe*, addens (*d*), *nullam nobis aut nostris heredibus aduocatiam, gardiam, vel custodiam seu ius processionis aut ius frequentationis vel aliud ius quocunque censeatur nomine, in eadem ecclesia penitus reseruantes.* Iura recensens, quae iuri patronatus inessent, *aduocatiam*, et *gardiam* seu custodiam bonorum nominatim exprimit.

§. VI.

Cum itaque aduocatia ecclesiastica, iure fundationis competens, partem faciat iuris patronatus, mirum non est, cetera quoque iura, ad ius patronatus relata,

(*c*) quod constat ex priuilegio Theodorici Marchionis Misnensis de a. 1200. apud LVDEWIWIGIVM *l. c. tom. I. p. 15.*

(*d*) Chartam exhibet CHRIST. LVD. SCHEIDT *l. c. N. CLV. p. 522.*

relata saepenumero inesse aduocatiae, indeque euenisse, vt vtraque appellatio *aduocatiae ecclesiasticae* et *iuris patronatus* promiscua euaserit, et ius patronatus *aduocatia ecclesiarum* et *ius aduocationis*, ceu ex *c. 6. 23. et 24. de iure patronat.* intelligitur, et patroni *aduocati ecclesiarum* dicerentur, qua appellatione in *c. 9. 23. et 24. X. eod.* designantur. Albertus Archiepiscopus Magdeburgensis in dipl. de a. 1209. (*e*) confirmat donationem Friderici Comitis de Bren, qua monasterium de Brenen, ex progenitorum suorum patrimoniis institutum, sorori suae Quedlinburgensi Abbatissae Sophiae *cum pleno iure patronatus et aduocatiae* tradiderat, quo loco aduocatia, iure fundationis competens, eodem cum iure patronatus significatu vsurpatur. Anglis aduocatia ecclesiarum nihil aliud denotat, quam ius patronatus (*f*). Et dudum monuit HEN-

(*e*) apud KETTNERVM *in antiqu. Quedlinb. p. 326.*

(*f*) Edidit VITVS KENNET Oxonii ann. 1695. Antiquitates Ambrosiodunenses in pago Oxoniensi,

HENRICVS SPELMANNVS (*g*), appellationem aduocatiae et iuris aduocationis apud Anglos olim frequentiorem esse nomine iuris patronatus, quod ex reuerentia fundatori debita natales duxisse videtur. Inde obseruauit IANVS A COSTA (*h*) omnes fere *decretales* tituli *de iure patronatus* ad Angliam pertinere, et ideo promiscuam in illis esse *aduocati* et *patroni* appellationem.

§. VII.

Superest vt, quod monui, ostendam, cetera quoque, quae iuri patronatus insunt, iura sub aduocatia ecclesiastica, quoad haec ex fundatione descendit, contineri.

niensi, sub tit. *Parochial Antiquities of Ambrosden and Burcester*, quibus iunxit glossarium praestantissimum, in quo sub voce *Advouson of Churches* et *Advouson of Religious Houses* vsum vocis apud Anglos illustrat. In chartis, quae magno numero editae sunt in WILL. DVGDALE *Monastico Anglicano* promiscue vsurpatur aduocatio et ius patronatus v. c. tom. III. de eccles. collegiat. p. 132. 139. 145. et seq.

(*g*) *in Archeologo p. 23.*

(*h*) in *comment. ad Decretales l. II. tit. I. p. 278.*

contineri. Iura *honorifica*, patrono tanquam fundatori ecclesiae tributa, aduocatis ceu ecclesiarum fundatoribus non minus deberi, nemo facile inficias ibit; siquidem haec ex *fundatione*, communi vtriusque iuris fonte, descendunt, et in honorem reuerentiam et grati animi significationem impertiuntur patronis aeque ac aduocatis (*i*). Sed solet praecipua *iuris patronatus* pars in iure circa beneficiorum prouisionem collocari: idque tum in iure *praesentandi*, quod in beneficiis minoribus collatiuis obtinet, tum in *iure* in electum *consentiendi*, vel ex iusta causa dissentiendi consistit *k*); cuiusmodi votum negatiuum *patrono* in ecclesiis collegiatis facilius permittitur, nisi

(*i*) Conf. FR. DE ROYE *de iure honorifico lib. I. cap. 3. 4. 5. et 6.* In transactione inter Sophiam remotam et Bertrandem electam abbatissam Quedlinburgensem de a. 1225. in KETTNERI *ant. Quedlinb. p. 250.* iurium honorificorum mencio fit. *Comes Hoyerus* (de Falckenstein) *Aduocatiam suam retineat cum omni iure et honore.* Ius sepulturae aduocatis constituitur in dipl. Henrici Comitis Palatini Rheni de a. 1093. apud NIC. DE HONTHEIM *l. c. tom. I. p. 442.*

(*k*) *c. 25. X. de iure patron. c. 28. 51. 56. X. de Elect.*

nisi et in his maius ius, veluti ius nominandi, virtute fundationis meruerit. Videlicet haec iura sub complexu eorum, quae vi fundationis competunt, continentur, quamquam a lege fundationis non minus quam obseruantia pendeat, quale quantumue ius patrono in singulis ecclesiis relictum sit. *Aduocatia ecclesiastica*, quae a fundatione natales ducit, easdem rationes habet, et cum illa non minus iura vel *praesentandi* ad beneficium vel in *electum consentiendi* coniuncta sunt, prout vel fundationis vel obseruantiae leges id ferunt in singulis ecclesiis. Ius pristinum constituendi Episcopos ad aduocatiam ecclesiasticam Imperialem pertinuit; et recte omnino a fundatione et dotatione maiorum ecclesiarum Germaniae indeque descente aduocatia imperiali speciali rationem illius iuris repetiit HERMANNVS CONRINGIVS (*l*), quod et in aliis regnis ex eodem fundamento regibus relictum est. Innocentius PP. III. in *c.* 28. *X. de elect.* simile ius refert, *vi cuius electio*

debet

(*l*) *de constitut. Episcop. Germ.* §. 48.

debet principi praesentari, vt postulationi praestet assensum: cuiusmodi ius a Principibus, ceu fundatoribus ecclesiarum, etiamsi his gratiam electionis fecerint, subinde reseruatum est (*m*). In ecclesia SS. Simonis et Iudae Goslariensi, ab Imperatoribus fundata, ius constituendi praepositum partem facit aduocatiae imperialis specialis. Leo IX. in bulla, de a. 1049. (*n*) qua exemtionem istius ecclesiae a iurisdictione Episcopi Hildesemensis definit, ait: *dignum duximus eidem carissimo filio nostro Augusto* (Henrico III.) *eiusque successoribus aduocationem ipsius sacri loci ea ratione relinquere, vt semper in potestate habeant, ibi praepositos secundum Deum ordinare.* Quod hoc loco iuri aduocatiae tribuitur, Carolus IV. in dipl. de a. 1361. (*o*) *ius patronatus*, seque *praepositurae patronum* appellat. In pri-

(*m*) Exempla refert ANT. DAD. ALTESERRA de *duc. et com. Gall. cap. X. p. 82.*

(*n*) apud HEINECCIVM in *ant. Goslariens. lib. I. p. 49.*

(*o*) apud AD. FRID. GLAFEY *in anecdot. n. 482. p. 606.*

priuilegio Rudolphi Episcopi Halberstadiensis de a. 1147. pro ecclesia Cellae B. Mariae, libera abbatem *cum assensu et consilio Aduocati* eligendi potestas vindicatur (*p*). Vlricus Comes de Lenzburg fundator ecclesiae Beronensis in dipl. de a. 1036. (*q*) cauet, vt vnus semper heredum ex gente sua esset iustus et pius Aduocatus atque *defensor eiusdem ecclesiae et Canonicorum atque familiae, et electionem, a se datam Canonicis nequaquam auferre praesumeret.* Derogat hoc loco iuri aduocatiae in ipsa fundatione, dum data Canonicis eligendi facultate, ius praesentandi ab aduocato exerceri noluit. Innocentius PP. III. in regestis (*r*) annuit Alberto II. Marchioni Brandenburgico, ecclesiam conuentualem, Leninensem, vt videtur, in

(*p*) in LVDEWIGII *reliq. tom. I. p. 3.*

(*q*) in I. FR. SCHANNATI *vindem. literar. coll. I. p. 173.* et in WILH. FRID. PISTORII *obseruat. hist. de comitib. P. 2. p. 174.* Nollem tamen cum Pistorio praecipuum ius Comitum in sacris in indulgenda eligendi facultate exinde repetere: fundatoris iure ibi vsus est Comes.

(*r*) apud STEPH. BALVZIVM in *epistol. Innocentii III. lib. XIII. ep. 121. tom. II. p. 420.*

in Marchia, a ſe, fratre, patre auoque edomita, fundaturo, vt ius praeſentandi praepoſitum in eadem ſibi reſeruaret. In charta Erneſti Archiepiſcopi Magdeburgenſis ſuper fundatione capellae de a. 1494. (*s*) dicitur: *ius vero praeſentandi penes Aduocatum - - - tanquam ad patronum laicum pertinere volumus, qui ad nominationem noſtram et ſucceſſorum noſtrorum archiepiſcoporum duntaxat tempore vacantiae aliquem idoneum clericum - - praeſentare habebit.*

§. VIII.

Cum iure conferendi et praeſentandi olim coniunctum fuit ius *cuſtodiae* ſeu ius reditus vacantis beneficii cuſtodiendi tamdiu, donec conferatur (*t*). Et hoc ius *vi fundationis* deberi exiſtimatum eſt, cum conditorum eſſet, bona eccleſiae eo maxime tempore tueri et diſpenſare, quo ordinario ſacerdote carebat.

(*s*) in I. GE. LEVCKFELD *antiquit. nummar. p.* 243.

(*t*) *c. 9. de officio ordinar. in 6.*

rebat. Itaque et ad ius *patronatus* et ius *aduocatiae* relatum eſt. Sed id ipſum vſu et obſeruantia abiit in ius reditus vacantis beneficii percipiendi, et ſupellectilem defunctorum clericorum occupandi, quippe quae inſtar peculii eccleſiaſtici ad vacantem eccleſiam recidebat, cuius reditus ſuos faciebant fundatores. (*u*) Atque in huius iuris exercitio eadem quoque in *aduocatis eccleſiarum* ac in *patronis* obſeruamus: et conſtitutiones quae de eodem abolendo

(*u*) De hoc iure, quod *ſpolii ius* dicitur, abolendo, vehementer laborarunt eccleſiae. Praeter iuris Canonici ſanctiones, quae huic iuri, obſeruantia firmato, abolendo vix ſufficere viſae ſunt, particulares etiam extant ſecularium principum conſtitutiones. Aduocatis illud interdixerunt *Otto Strenuus* Dux Brunſuicenſis eiusque filii *Otto et Wilhelmus* in conſtitutione de a. 1308. apud CHRIST. LVD. SCHEID *l. c. n. CXCIX.* p. 581. In epiſcopatn Hildeſemenſi a. 1166. a Friderico I. Imp. datum eſt praeceptum, ne vllus aduocatorum ſeu ſecularis perſona aliquam rem defuncti clerici diripere praeſumeret: quod huius eſt tenoris. Fridericus *dei gratia Romanorum Imperator et ſemper Auguſtus. Dilecto fideli ſuo B. Hilden. Epiſcopo, totique clero, inbeneficiatis, miniſterialibus, ac ceteris vniuerſis per Epiſcopatum Hilden.*

do latae sunt, id non minus aduocatis quam

Hilden. constitutis, gratiam suam et omne bonum. Cum imperatorie nostre serenitatis hoc potissimum deceat magnitudinem, vt vniuersis in Imperio nostro commorantibus, vt dignum est, prouideamus, suamque vnicuique iustitiam equilibriter conseruemus; maxime tamen sollicitudinem hanc sacrosanctis Dei impartiri debere videmur Ecclesiis, praesertim sancte Ecclesie Hildensemensi, que ab ipso sue fundationis exordio nostro cognoscitur Imperio *fidelissima semper extitisse. Quia igitur, vt audiuimus, eadem Hilden. Ecclesia violenta* aduocatorum *importunitate grauiter molestatur, in tantum, vt* morientium *etiam* reliquias *sibi vindicent* sacerdotum; *hanc tantam Aduocatorum illorum tamquam temerariam praesumtionem imperatorie nostre maiestatis benignitati prorsus displicere nouerint. Volumus enim, sicut iustum est, et vniuersis imperii nostri principibus, sane Deum timentibus, complacere dinoscitur, vt sancta Dei Ecclesia, ac persone Ecclesiastice, quemadmodum a gloriosissimis predecessoribus nostris imperatoribus sancitum est, libera gaudeant im-immunitate. Quapropter venerabilis Episcope, - - tue discretioni presentibus literis studiose iniungimus, quatinus ad obseruandum in talibus antique morem institutionis animum omnium adhibeas vigilantie, ita, vt, decedentibus personis aliquibus Ecclesiasticis, vel maxime sacerdotibus, nullum Aduocatorum aut secularium personarum aliquam defuncti supellectilem, vel aliquid eorum, que dereliquit, diripere patiaris, quin potius ad tuam vel ecclesiasticarum perso-*

 narum

quam patronis negant (x), nisi lege fundationis vel vi specialis priuilegii competeret.

§. IX.

Ceterum quamquam aduocatia ecclesiarum, quoad nata est ex earum fundatione, ad ius patronatus tamquam ad complexum iurium, ex fundatione ecclesiarum descendentium, recte refeatur: ratio tamen non difficulter datur, quare hoc ius peculiari nomine distinguatur,

narum, quarum id officii interest, dispositionem omnia pertinere facias. Si vero fundus Ecclesie ad laice persone dominium spectat, ipsa supellex, secundum pristine consuetudinis obseruationem, in tres portiones diuidatur; quarum prima Ecclesie, secunda parentibus, tertia domino fundi Ecclesie consignetur; nullam vero Aduocati portionem in hiis constituimus. Omnia vero hec, vt, secundum quod supra statuimus, rata omnino et inconuulsa permaneant, nullusque contra hec aliquid machinari presumat, imperialis auctoritatis nostre iussione decernimus, tibique - - - Episcope! vt ad huius statuti perhennem stabilitatem toto nisu, omnique conamine tue discretionis animum diligenter impendas, firmissime precipimus.

(x) *c. 12. X. de poenis c. 13. de Electione in 6.*

guatur, cum non modo tamquam *ius proprium* considerari possit, verum etiam ius patronatus regulariter destitutum sit iure defensionis *publicae*, quamquam eidem insit *protectio priuata*.

Primo enim I. aduocatia iure fundationis vix obuenit aliis conditoribus, quam quorum *iurisdictioni* bona, in fundationem ecclesiae data, antea fuerant obnoxia: id quod fere tantum contigit in fundatione *ecclesiarum maiorum*, cathedralium, collegiatarum, monasteriorum a Principibus proceribusque peracta. Contra vero ex fundatione ecclesiarum *minorum*, capellarum parochiarumque vel ideo rarius enata est aduocatia, tum quod his praedia minora reditusque varii generis obuenirent, tum quod a priuatis fundatoribus, quae antea non competebat, reseruari non posset iudiciaria et *publica* in bona ecclesiae potestas.

Deinde II. per fundationem beneficiorum minorum et singularium *ius praesentandi* vel simile in prouisione ius

ſine difficultate acquiri potuit: quod difficulter licuit in fundatione eccleſiarum maiorum. Teſte hiſtoria laicis iura circa earum prouiſionem adeo ſunt in dubium reuocata, vt quae olim ex fundationis et aduocatiae iure Imperatoribus competebant nominationis iura, negata ſint, cautumque ſit generatim (*x*), fundatori in eccleſia collegiata vel in monaſterio non niſi *ius conſentiendi honorificum* ex regula competere. Quibus rebus effectum eſt, vt cum ius aduocatiae, in ſpecie ſic dictum, plerumque in eccleſiis maioribus obtinuerit, aduocatis raro maius in prouiſione ius, quam ius conſentiendi, relictum ſit. Contra vero ius patronatus in beneficiis minoribus vtplurimum annexum habuit ius praeſentandi, ex eoque potiſſimum aeſtimari coepit.

Denique III. *ius aduocatiae*, in ſpecie ſic dictum, in aliis eccleſiis prorſus *ſublatum*

(*x*) *c. 25. X. de iure patronat. c. 4. C. XVIII. qu. 2.*

latum eſt, in aliis iura eius admodum *imminuta* ſunt: vt a *pactis* et ab *obſeruantia* pendeat, quaenam aduocatiae iura conſeruata ſint. Iam inde a ſec. XIII. eccleſiarum praeſules de acquirenda iurisdictione ciuili et criminali ſolliciti, aduocatiae iura *redemtione aduocatiarum* obtinuerunt (*y*), redemtasque ſibi

(*y*) Hoc in omnis generis aduocatiis eccleſiaſticis contigit; quo fine redemtionis facultatem ab imperatoribus ſibi dari ſaepius petierunt: qua opus videbatur in aduocatiis ab imperatore datis vel infoeodatis. Indulgentiam LOTHARII III. de a. 1136. et FRIDERICI I. de a. 1179. pro eccleſia Kaldenbrunnenſi habet LVDEWIGIVS *reliq. tom X.* p. 141. Similem indulgentiam ſuper aduocatiis infeudatis vel redimendis vel quocunque titulo acquirendis eccleſiae Hildeſemenſi his literis fecit Fridericus II. de a. 1226. *Fridericus dei gracia Romanorum imperator ſemper auguſtus, Ieruſalem et Sicilie rex per preſens ſcriptum notum facimus vniuerſis imperii fidelibus, quod, cum magna ſint merita fidei venerabilis Hildenſemenſis epiſcopi dilecti principis noſtri in conſpectu noſtro, tanto magis idem epiſcopus ſpeciali debet prerogatiua gaudere et a nobis grata premia reportare, quanto maiori ſtabilitate preeminet fides eius, maxime cum ab ipſo non niſi gratum et fidele ſeruicium recolamus omni tempore recepiſſe. Et idcirco ſibi graciam ſpecialem volentes facere, da-*

 mus

sibi suaeque ecclesiae habuerunt, administratione iurisdictionis *officialibus* commissa.

§. X.

Ius patronatus *minus plenum* simillimum est iuri aduocatiae, cum eidem insint *iura protectionis* aliaue iura honorifica: etiamsi destitutum sit iure praesentandi. Natum illud est tum ex *lege fundationis*, qua iuri praesentandi vel renunciauit fundator vel illud alteri cessit, (z) tum maxime ex *noua dotatione*, qua ecclesiae, iam fundatae, instructae

mus licentiam sibi plenam, vt aduocacias infeudatas *tam ipse, quam ecclesia sua, licite redimere possit ac emere, vel alio modo, sicut potuerit melius, iusto titulo adipisci, auctoritate presentis scripti districte inhibentes, quatenus nullus sit ausus, qui dicto episcopo dilecto principi nostro vel suis successoribus aut ecclesie super hoc impedimentum vel contrarietatem opponat, sicut confidit de nostre gratia maiestatis. Datum apud Parmam, anno dominice incarnacionis M. CC. XXVI. Mense Junii XIIII. indiccione.*

(z) ESPENIVS in iure eccles. Part. II. Sect. III. tit. VIII. c. 5. §. 3. nouae edit.

ctae et amplificatae ſunt nouis praediis, quorum intuitu dotantibus ſeruata ſunt *protectionis aliaue iura*, promiſcue *aduocatiae* vel *patronatus* iura appellata. Eſt illud ius patronatus intuitu *bonorum eccleſiaſticorum* tantum competens, perinde vt frequenter occurrit aduocatia certis bonis tantum annexa (*a*). Propoſita eſt Ordini noſtro iuridico ſpecies, in qua inter alia incidit quaeſtio, quid, intelligatur per *merum ius patronatus*, intuitu *bonorum eccleſiae donatorum* reſeruatum. In facto contigit, quod *Nobiles de Pogwiſche* in Holſatia *Vicariae* in eccleſia St. Catharinae Virginis in villa Brockow a. 1345. donauerant *villam* *Oven-*

(*a*) Henricus Comes de Sternberg a. 1252. Abbati et Conuentui de Monte St. Mariae dimittit aduocatiam, quam habuerat in *quibusdam locis et praediis ipſius eccleſiae* in charta apud Vir. Ampl. CHRIST. VLR. GRVPEN *in Originibus Pyrmont. p. 133.* In charta de a. 1333. qua MAGNVS, Dux Brunſuicenſis, Monachus Noui Operis prope Halam confert ius Patronatus in eccleſia Peſen vna cum VII. manſis apud LVDEWIGIVM *in reliqu. MSpt. tom. V. p. 80.* *ius patronatus VII. manſis annexum eſſe* dicitur.

Ovendorp, de eaque inueſtiuerant Lambertum, qui tum praeerat Vicariae. Lamberto viuo, ipſi egerant patronos, id cauentes, vt eo defunčto *merum ius patronatus* obueniret *Coenobio Sanctimonialium Preezenſi.* Ab eo tempore adminiſtratio fručtuaria villae Ovendorp, Vicariae donatae, per annos CLXIX. fuit penes Vicarios. Qui cum deinceps, ſuadentibus rerum circumſtantiis et ob lites ab aliis motas implorasſent protečtionem et auxilium *coenobii Preezenſis*, ceu Vicariae patroni; id ipſis infeliciter ceſſit, ſiquidem illud inde adminiſtrationem villae Ovendorp *iure patronatus* ſibi vindicare, eamque inter varia litigia, per ſeculum produčta ſibi ſeruare, et arbitrium in reditibus villae vicario praeſtandis ſibi ſumere coepit. Inter haec mota eſt quaeſtio, de ſenſu literarum donationis: quae ſunt hae.

„Vniuerſis praeſentia viſuris ſeu au„dituris *Nicolaus* et *Otto* fratres dičti „*Poguuiſche*, *Johannes Brochou*, *Wulf* „*Poguuiſche* et *Marquardus* dičtus „*Wulf* famuli in omnium vero ſalutari ſa-

„lutem

„lutem cum noticia ſubſcriptorum. Re-
„cognoſcimus publice, praeſentibus
„proteſtantes, quod honeſtus miles Do-
„minus *Detleuus Poguuiſche* foelicis re-
„cordationis in extremitate vitae poſitus,
„ſui tamen tam in mente quam in cor-
„pore compos, non inductus, ſed mo-
„tu proprio, imo verius Sancti Spiritus
„ex inſtinctu, volens animae ſuae ſalu-
„briter prouidere, legauit, donauit,
„deuocius aſſignando Ducentas marcas
„Lubecenſes in villa Waſſebuck, titulo
„dotis ſeu dotalitii, dicti *Medegifft* in
„vulgari, Meygtildis ſuae famoſae con-
„iugis piae memoriae notorie quondam
„habitas, ad quandam *vicariam in Ec-
„cleſia ſanctae Catharinae Virginis, in
„villa Brocou ſita*, in ſuae propriae et
„honeſtae ſuae vxoris, ac vtrorumlibet
„parentum animarum in ſalutem, ex
„nouo inſtaurandam. Nunc vero per
„nos de propriis addentes quandam *vil-
„lam* dictam *Ouendorpe*, cum omni iu-
„re maiori et minori, manus et colli et
„proprietatibus et pertinenciis vniuerſis,
„agris cultis, et incultis, areis, pratis,

„paludibus, pascuis, lignis, siluis, viis „et inuiis, aquis, aquarumque decursi„bus seu instagnationibus ac piscationi„bus et plane cum omnibus et singulis li„bertatibus, proprietatibus, conditioni„bus, vtilitatibus ac emolumentis, sicu„ti dicta bona in suis distinctionibus sita „sunt, et prout iure haereditario nobis „liberius competebant, *ad ipsam Vica„riam* donauimus, deputauimus et as„signauimus instauratam perpetue con„firmandam, Eandem discreto viro Do„mino *Lamberto* Praesbitero, praesen„tium monstratori, viro idoneo, vitae „laudabilis ac honestae conuersationis ve„nustate praedito, nobis ex nunc, ac „Wulf de Brocowe milite Conrado Wulf „et Marquardo dictis Poguuische famu„lis, praedicti Domini Detleui testamen„tariis legitime constitutis, plene ex tum „consentientibus humiliter et simpliciter „conferendo propter Deum. Qui qui„dem Dominus Lambertus debeat sin„gulis annis in festo Beati Michaelis Ar„changeli *dictae villae Ouendorpe* red„ditus partialiter et in toto absque ali-

„quali

„quali contradictione expedite subleua-
„re, ipsos tanquam verus et perpetuus
„Vicarius Vicariae antedictae toto tem-
„pore, quoad vixerit, libere et pacifi-
„ce, possessurus. Quo de huius seculi
„medio sublato et deinceps in perpe-
„tuum, *Domino Praeposito, et Prioris-*
„*sae*, eorumque successoribus ac con-
„uentui *Sanctimonialium in Poretze*
„Diocesis Lubecensis *merum ius* con-
„iunctim cedere debebit *Patronatus.*
„In quorum omnium euidens testimo-
„nium sigilla nostra sunt appensa. Da-
„tum Millesimo Tricentesimo Quadra-
„gesimo Quinto in die Sancti Thomae
„Apostoli media quarta."

Inde vero inter alia quaesitum est:

I) *Ob das Gehöffte Obendorf vermoege der Donations-Acte vom Jahr 1345. nicht dem Prediger-Dienste zu Barckau dergestalt sey zugelegt vnd geordnet worden, daß solches dem jedesmahlichen Prediger von dem bochadelichen Closter Preez conferiret vnd er gleichsam damit investiret werden musse?*

Ob

Ob nun wohl 1) die Donations-Vrkunde vom Jahr 1345. ergiebet, daſs das zu der Vicarie in der Catharinen Kirche zu Barckau geſchenckte Gehöffte Obendorf dem damahligen Prediger vnd Vicario Lamberto zum Lebenswierigen Beſitz eingeraeumet, vnd ihm die Erhebung derer davon fallenden Einkünffte auf Zeit ſeines Lebens zugeſtanden worden, vnd dabey 2) in gedachter Vrkunde in einem Zuſammenhang dasienige, was nach ſeinem Abſterben erfolgen ſollte, verordnet, vnd in den Worten

> Quo, (ſcilicet Lamberto) de huius ſeculi medio ſublato, et deinceps in perpetuum Domino praepoſito et prioriſſae eorumque ſucceſſoribus ac Conuentui Sanctimonialium in Poretze dioecefis Lubecenſis, merum ius coniunctim cedere debebit patronatus.

ſo viel verfüget wird, daſs dem Probſt, der Prioriſſin vnd dem gantzen Convent zu Preez coniunctim das *merum ius patronatus* anfallen ſolle,

Daraus aber 3) die Erklaerung gemacht werden durffte, daſs gedachten Stifte eben dereienige Beſiz des ganzen Gehoefftes, vnd eben dieienige Dispoſition, welche Lambertus darüber gehabt, durch den Anfall des iuris patronatus in dermaſſen zuſtehen ſolle, daſs das Cloſter die da-

davon abfallende Revenuës zum Beſten der Vicarie zu verwenden habe:

Dennoch aber vnd dieweil 1) in der Schenckungs-Vrkunde vornehmlich dreierley Verordnungen enthalten ſind, vnd zwar a) die Stifftung vnd Schenckung des Gehöfftes Obendorf an die Vicariam, b) die Verleihung des geſchenckten Gehöfftes an den damahligen Vicarium Lambertum, vnd c) der Vbertrag des iuris patronatus an das adeliche Stifft Preez,

Vnd dann 2) ſo viel erſtere betrifft die von Pogwiſch in der Schenckungs-Vrkunde ausdrücklich dahin ſich erklaeret, daſs ſie den Hoff Obendorff mit allen dazu gehoerigen Gütern vnd Gerechtigkeiten, in dermaſſen, wie ſolche ihnen nach freyen Erbrecht zugeſtanden, der gedachten Vicariae in der Catharinen Kirche zu Brakow geſchencket gewidmet vnd zugeeignet haben wolten, wie ſolches die Schenckung vnd inſonderheit die Worte

> prout (praedicta bona) iure nobis hereditario liberius competebant, ad ipſam Vicariam donauimus, deputauimus et aſſignauimus

aufs deutlichſte ergeben, und daraus erfolget, daſs Obendorf krafft dieſer Schenckung ein Eigenthum gedachter Vicariae worden, vnd die-

ſe

se in das freie erbliche Recht derer von Pogwisch an diesem Hofe vm so gewisser getreten, als aus den Rechten bekant ist, dass Donationes vnd milde Schenckungen einen titulum transferendi dominii enthalten, vnd dabei durch erfolgte traditionem das Eigenthums-Recht vbertragen wird, si enim aliqua iusta causa seu iustus titulus praecesserit, propter quam traditio sequeretur, dominium transfertur,

L. 31. D. de aquir. rer. dominio

ideoque si quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert

L. 26. D. eod.

Ferner 3) aus der Schenckungs-Vrkunde erhellet, dass die von Pogwisch das geschenkte Gehöffte der Stifftung gemaes dem damahligen Vicario Lamberto, in verbis:

Eamdem (villam Ovendorpe) discreto viro Lamberto - - - humiliter et simpliciter conferendo

so fort verliehen, vnd ihm sowohl dem Besitz als die Benutzung desselben, auf die Zeit seines Lebens nach der Art vnd Eigenschafft eines beneficii ecclesiastici et vicariae perpetuae, vbergeben, vnd durch gedachte Verleihung dasienige vollstrecket, wozu fundatores vi fundationis et dotationis berechtiget sind,

Diesem endlich 4) die von Pogwisch noch diese Verordnung, dass nach dem Tode des

Lamberti

Lamberti das merum ius patronatus dem Adelichen Stifft Preez anfallen sollte, hinzugefüget vnd dadurch zu erkennen gegeben, daſs wie ſie, als fundatores, den damahligen Vicarium, ſelbſt mit dem geſchenckten Hoffe belehnet, vnd defenſionem et protectionem bonorum donatorum bey deſſen Leben vnd aus der vor ſeine Perſon in der Schenckungs-Vrkunde bezeigten Achtung ſelbſt iure fundationis exerciret, ſo hergegen nach deſſen Tode dieſe ihnen, als fundatoribus zuſtehende Rechte, dem Cloſter Preez zufallen, mithin die Verleihung der qu. Güter an iedweden zeitigen Vicarium vnd derer defenſio vnd patrocinium nebſt denen vbrigen iuribus fundatorum et patronorum honorificis vnter den Nahmen des *meri iuris patronatus* dem Cloſter zu Theil werden ſolle, in mehrerer Erwegung, daſs

5) die Eigenſchafft des gedachten meri iuris patronatus nicht richtiger vnd nicht kentlicher als aus denen Rechten ſelbſt beurtheilet werden kann, welche die von Pogwiſch, als fundatores, durch die dotationem Vicariae erhalten, und welche vornehmlich in iure concedendi et inueſtiendi Vicarium cum praedicta Villa vnd in iure protectionis beſtanden, dergleichen iura patronatus per fundationem et dotationem eccleſiae ipſo iure acquiriret werden.

C. 25. X. de iure Patronat.

Vnd

Vnd obwohl ſonſt 6) das ius patronatus mehrere Rechte vnd ſonderlich das ius nominandi et praeſentandi zu enthalten pfleget, deſſen weder in der Vrkunde noch auch in ſpecie facti Erwehnung geſchehen, dennoch aus den Rechten bekannt, quod ius patronatus ſit conplexus iurium vi fundationis vel dotationis in Eccleſiam competentium

Franc. de Roye de iure patronat. in prolegom. c. I. p. 2.

Fr. Florens de iure patronat. Tom. II. oper. p. 256.

vnd alle vnter dem iure patronatus begriffene Rechte bey iedem iure patronatus nicht iederzeit zuſammen anzutreffen ſind, vielmehr deshalb das ius patronatus in plenum et minus plenum abgetheilet wird,

Fr. de Roye l. c. cap. 20. p. 67.

darneben in gegenwärtigen Fall ein beſonderer Grund, warum das ius patronatus die die Beſtallung eines Vicarii betreffende Rechte nicht enthalten koennen, darin zu finden iſt, daſs obgedachte Vicaria vor der Schenckung bereits errichtet geweſen, vnd durch die Schenckung nur in beſſern Stand geſetzet worden, folglich denen von Pogwiſch durch die dotationem vicariae nur ſolche Gerechtſame, welche die Verleyhung vnd Aufrechthaltung derer dazu geſtifften Güter betreffen, acquiriret, folglich

von

von ihnen auch auf das Stifft Preez transferiret werden koennen,

Daraus aber 7) der Grund abzunehmen, warum in der Schenckungs-Vrkunde de a. 1345. es *merum ius patronatus* genennet wird, vnd das darunter nur allein die dem fundatori et patrono in Ansehung *derer gestiffteten Güter* zustehende vnd deren Verleyhung vnd Beschützung betreffende Rechte angedeutet werden, allermassen in diesen Rechten, welche auch sonst vnter dem Ausdruck der *Aduocatiae*, *tuitionis*, *protectionis*, *custodiae* et *guardiae* benant worden, ein nicht geringer Theil des iuris patronatus bestanden, vnd eben deshalb das ius patronatus oefters *ius aduocatiae* vnd die patroni *aduocati* in Rechten genennet werden;

c. 6. 9. 23. 24. X. de iure patronat.

Vnd wie öfters 8) das völlige ius patronatus in den Vrkunden vnter der Formul cum pleno iure patronatus et aduocatiae

in docum. de a. 1209. apud *Kettnerum* in antiquit. Quedlinb. p. 326.

verliehen wird, so hergegen in der in Frage stehenden Vrkunde das ius patronatus, weil solches blos in Absicht der geschenckten Güter zu bestimmen war, das *merum ius patronatus* benennet, vnd dadurch so viel als die aduocatia

 bono-

bonorum, vicariae donatorum et aſſignatorum, angedeutet wird,

Solchemnach wenn 9) die in gedachter Vrkunde enthaltene drey Hauptverordnungen in rechtliche Verhaeltniſſe gegeneinander geſtellet werden, der gedachten Vicariae zu Broccau das Eigenthum der derſelben geſchenckten und geſtiffteten Güter, hergegen dem Stiffte Preez, vi meri iuris patronatus, das ius conferendi bona, vnd die ex protectione bonorum herflieſſende Rechte zuſtehen, wohl folglich das Gehöffte Obendorff einen jedesmahligen Prediger von dem Cloſter Preez conferiret, vnd er damit eben ſo inueſtiret werden mus, als ſolches von den erſten fundatoribus, denen von Pogwiſch geſchehen, vnd wie die gleich nach der Stifftung beobachtete Obſervanz von 169. Jahren, als welche die beſte Auslegerin der Vrkunde iſt,

c. 8. X. de conſuetud.

ſolches beſtaetiget;

Dahergegen 10) die in Zweifels Gründen angeführte Auslegung gedachter Vrkunde deshalb für ſtatthafft nicht zu halten, weil die Schenckung des Hoffes Obendorff nicht dem Lamberto, ſondern der gedachten Vicariae geſchehen, vnd nur jenem, als zeitigem Vicario, die der Vicariae geſchenckte Güter verliehen,

vnd

vnd er damit inueſtiret, vnd in deren Beſitz vnd Genuſs eingeſetzet worden, darneben die Vrſach deſſen, daſs ſolches auf ſeine Lebenszeit gerichtet worden, ſowohl aus der Natur vnd Eigenſchafft der Vicariae perpetuae tanquam beneficii eccleſiaſtici, quod ad vitae tempus conceditur, als auch aus dabey geaeuſſerter Abſicht derer fundatorum ſich ergiebet, als welche bey dem Leben des Lamberti die iura patronatus in Anſehung der geſchenckten Güter ſelbſt exerciret, hergegen verordnet, daſs erſt nach dem Tode des Lamberti dem geſamten Cloſter Preez das merum ius patronatus anfallen ſolte, vnd dahin die in rat. dub. 2) angezogene Worte abzielen, vnd—

Daher die

ad rat. dub. 3) gezogene Folge mit keinem Schein gerechtfertiget werden kann, allermaſſen nicht dasienige Recht, ſo Lambertus ex conceſſione villae Obendorff erhalten, ſondern nur allein dasienige Recht, ſo die fundatores, die von Pogwiſch, an den bonis donatis bey dem Leben des Lamberti exerciret vnd behalten, vnd welches durch den Ausdruck des meri iuris patronatus deutlich characteriſiret wird, nach dem Tode des Lamberti dem Cloſter Preez anfallen ſollen, überdem die Vrkunde ſelbſt ergiebet, daſs das Gehöffte Obendorff der Vicariae, in der maſſen, wie die fundatores ſolche

 iure

iure hereditario besessen, auf ewig geschenckt vnd gestifftet, folglich krafft solcher Dotation, auch die in dem Besitz, Genuss, vnd Administration beruhende Effectus dominii, so wie die dem damahligen Vicario Lamberto geschehene Verleihung solches bestaetiget, gedachter Vicariae zugestanden werden, hiemit aber vnd mit dem Hauptinhalte der Vrkunde streiten würde, das der Vicariae beygelegte Recht, durch die angezogene Auslegung, dem Closter Preez zuzueignen, dergleichen vnter dem Ausdruck des meri iuris patronatus nicht enthalten ist, non admittenda est vero interpretatio, quae contradictionem inuoluit, cum dispositione fundatoris vel testatoris, vel qua haec rursus inpugnatur;

L. 3. D. de testament. milit.
L. 3. §. 3. D. de reb. dubiis.

Als sind wir der rechtlichen Meynung, dass das Gehöffte Obendorff vermoege der Donations-Vrkunde de a. 1345. der Vicariae vnd dem jetzigen Predigerdienste zu Barckau dergestalt zugeleget vnd gewidmet worden, dass solches dem jedesmahligen Vicario oder Prediger von dem hochadelichen Closter zu Preez conferiret, vnd er damit inuestiret werden müsse.

II)

II) *Ob das Wort Vicaria daher nicht den Prediger-Dienst, vnd Vicarius den p. t. Prediger nach dem stilo loquendi des 14ten Seculi bedeute?*

Ob nun wohl die Worte Vicaria vnd Vicarius, in sofern sie auf eine vicariam administrationem beneficii ecclesiastici abzielen, vnter verschiedenen Deutungen gebraucht werden, vnd sowohl bey den Canonicatibus als bey Parochiis vnd anderen Beneficiis vorkommen, wie solcher significatus von

Espenio in iure ecclesiast. P.II. S.4. tit. 3. c.I.
Petr. Gibert in Corp. iur. can. P. II. tit. X. p. 224.
Anaclet. Reifenstul in Iur. Can. P. II. tit. V. n. 68. 69.

erleutert werden:

D. a. v. d. 1) In der Schenckungs-Vrkunde de a. 1345. von einer vicaria perpetua, in ecclesia sanctae Catharinae Virginis sita, die Rede ist, dergleichen in einer Pfarr-oder Hauptkirche gestifftete Vicaria für nichts anders, als für ein beneficium ecclesiasticum, intuitu specialis officii sacri v. c. officii missatici, in ecclesia quadam constitutum zu achten, vnd vordem gemeiniglich zu einem in einer Kirche befindlichen Altar, vnd zu einem dabey zu verrich-

tenden Mefs-Dienft errichtet worden, fonft aber nur deswegen den Nahmen der Vicariae führet, weil vnter der Verwaltung des fpecialis officii in certa ecclefia zugleich die vices primarii paftoris in ecclefia vertreten werden, im vbrigen in Betracht deffen, dafs dergleichen officium facrum fpeciale zugleich ein officium perpetuum ift, vicaria perpetua vnd die damit prouidirte Perfon vicarius perpetuus zum Vnterfchied eines vicarii temporalis et pro nutu amouibilis genennet, auch folche Vicaria inter vera beneficia ecclefiaftica gerechnet wird, vicariae perpetuae enim aequiparantur beneficiis ecclefiafticis

C. 27. X. de Refcriptis
Clem. vn. de officio Vicarii
Reifenftul l. c. n. 69.

et tribuit ius perpetuum percipiendi reditus propter officium

Gonzalez in Comment. ad Decret. ad c. 27. X. de Refcript.

Vnd denn 2) dafs die in Frage ftehende Vicaria dergleichen Eigenfchafft gehabt, vm fo weniger gezweiffelt werden mag, weil fie in der Vrkunde als ein in der Catharinen Kirche zu Broccow errichtete Vicaria befchrieben, vnd als eine Vicaria perpetua benennet ift, mithin als ein beneficium, cum parochia vnitum, cui fpecialis praefuit presbyter, anzufehen,

Wie

Wie denn 3) in diesem significatu die Vicariae in 14ten Seculo haeuffig vorkommen, vnd sonderlich durch das Kentzeichen, daſs sie als besondere Beneficia in einer gewiſſen Kirche errichtet sind, sich kenntlich machen, wie davon die in dem Biſsthum Lübeck und anderen benachbahrten Stifftern vorkommende Vrkunden zeugen, als

In docum. de a. 1330. *Vicaria in parochia Oldenborg* apud *Lunigium* in spicileg. eccleſ. Tom. II. p. 338. n. 85.

In doc. de a. 1331. *Vicaria in ecclesia Chicow ad altare ejusdem ecclesiae deputata*, ibid. p. 339. n. 87.

In doc. de a. 1332. *Vicaria in honorem Mariae Magd. in ecclesia Lubecensi.* ibid. p. 343. n. 92. et similes ibid. n. 95. 94. 98. 101. 109.

In doc. de a. 1338. *Vicaria in ecclesia Kiel cum eius collatione et iure patronatus* in Ern. I. de *Westphalen* monumentis rer. German. T. II. p. 134. n. 152.

In doc. de a. 1338. ibid. p. 138. n. 155. vbi Vicariae perpetuae inter *beneficia ecclesiastica* referuntur.

In doc. de a. 1312. in *Stafforst* Hamburg. Kirchengeschichte. Tom. I. part. II. p. 234. n. 15. et p. 817. n. 11. vbi *Vicaria perpe-*

tua ad altare B. Dionysii in ecclesia S. Iacobi erecta refertur.

Vbrigens wenn gleich 4) der besondere Messdienst auf denen dazu gewidmeten Altaeren nach erfolgter Reformation nicht fortdauren koennen, dennoch dergleichen in einer Pfarrkirche errichtete Vicariae mit dem Pfardienst selbst vereiniget worden, vnd die ordentliche Pfarrer vnd Prediger in die Rechte vnd Nutzen derer ehemahligen Vicariorum getreten, vnd daher die aus den alten Stifftungen derer Vicariarum erwachsene Reditus als Pfarr-Einkünffte zu geniessen haben,

Daraus aber 5) von selbst sich ergiebet, dass da in den gegenwärtigen Fall die Eigenschafft der in der Catharinen Kirche zu Brochow aufgerichteten Vicariae perpetuae klar bestimmet ist, keiner von den vbrigen significatibus vicariae hier eintreten mag:

Als erhellet hieraus soviel, dass das Wort Vicaria perpetua nach den stilo loquendi des XIVten seculi das in einer Kirche behuff eines besondern Gottesdienstes bestellte officium et beneficium ecclesiasticum, vnd ein Vicarius den dazu geordneten Presbyterum andeute.

Sequuntur exempla vicariarum ex seculo XIV.

I.

I.

Inſtitutio Vicariae in eccleſia Villae Buchen, confirmata ab epiſcopo Raceburgenſi, Marquardo et ab Erico, Sax. Duce a. 1329.

In nomine ſancte et indiuidue Trinitatis. Ne deuotarum mentium pietatis opus, quod ob ſalutem animarum Chriſti fidelium in celo theſaurizantium memorie dignum ſortitur effectum, cum decurſu temporis per obliuionem intereat, expedit, vt in exemplar poſterorum roboretur patrocinio ſcripturarum. Hinc eſt, quod nos, *Marquardus* dei gracia Raceburgenſis eccleſie Epiſcopus, nec non *Ericus* eadem gracia Saxon. Weſtualie et Angarie Dux recognoſcimus coram omnibus in hiis ſcriptis, quod quidam Deputati Electi Sen. *Iurati* eccleſie beate virginis *Thorboken*, bonum vtile ipſius eccleſie pretendentes, quandam de nouo *Vicariam* de depoſito oblatarum ibidem elemoſinarum inſtituunt cum conſenſu noſtro atque ipſius plebani ac omnium ſingulorum, quorum intereſt, in hunc modum: videlicet, quod eandem vicariam dotabunt ac dotant cum reditibus annuis *ſedecim* marcarum numiſmatis Lubicenſis, per preſbyterum poſſidendam iugiter et regendam. Eiusmodi etiam

redditus suo sic assignant presbitero. Nouem marcas annuatim tollendas, quarum sex ex ipsa *villa Thorboken* et tres de denariis, qui colliguntur in aqua, que vocatur *Deluene*, et dicuntur *Arinkpenninghe*, *) capiet omni anno: quas scilicet nouem marcas reddituas iidem iurati a nobis retinent, et sibi pro nonaginta marcis Lubecensium denariorum compararunt, ita tamen quod easdem Nos aut heredes nostri reemere poterimus, dum nobis expedit, pro pecunia memorata. Porro ipsi Iurati hanc pecuniam in redditus nomine vicarie ad vsus ipsius presbiteri vicarii commutabunt. Insuper septem marcas de parte oblacionum ipsis Iuratis deputatarum prenotato vicario annis singulis ministrabunt, donec redditus septem marcarum sibi valeant comparare. Itaque ergo idem Vicarius suo preesse debebit officio. In sua septimana *quinque missas*, vnam pro viuis, alteram pro defunctis, qui pro salute animarum suarum eidem ecclesie suas donauerunt elemosinas, et reliquas tres suo pro beneplacito celebrabit; sub horis tamen competentibus vero plebano ceu ipsius vicem gerenti. Terciis vero ac quintis feriis

(*) Anno 1262. Wismarienses emerunt Vecturam Aringae: quod de Vectura halecum accipit Vir illustr. HENR. CHRIST. DE SENCKENBERG select. iur. et hist. t. II. p. 468.

feriis vacabit aut celebrabit, prout docuit ipsius arbitrium voluntatis. Preterea si quoque plebanus ipsius ecclesie requirat et indigeat, vt idem Vicarius et missa deputatata sibi - - quando - - pro suo beneplacito celebrabit. Si quid eciam Vicarius de votiuis oblacionibus aut memoriis - - statim plebano sub verbo veritatis simplici presentabit. Preterea quidquid ad emendacionem dicte Vicarie vel Vicarii per quascunque nomine testamenti, elemosine seu doni quocunque nomine datum vel assignatum fuerit, hoc inter se plebanus et Vicarius equanimiter partientur. Si autem plebanus credere nollet simplici Vicarii verbo - - - quibuslibet anni temporibus, dum a plebano requiritur, suo iuramento declarabit, quod nihil sustulit de votiuis, memoriis, testamentis seu quibuscunque aliis receptionibus occultis seu manifestis, quod ad ipsum plebanum possit quomodolibet pertinere. Vt autem huiusmodi Vicarie institutio ac rerum preordinatarum consistentia inuiolabiliter perseueret; Nos Marquardus Episcopus et Ericus Dux patronus dei gracia presens scriptum nostrorum sigillorum munimine fecimus roborari. Datum et Actum Anno Domini, M. CCC. vicesimo nono.

II.

II.

Inſtitutio Vicariae, in eccleſia Razeburgenſi de a. 1322.

In nomine domini Amen. Vniuerſis praeſens ſcriptum cernentibus. Echardus Dei gracia Epiſcopus, Iohannes Prior et totum Capitulum eccleſiae Raceburgenſis ſalutem in Domino, cum notitia rei geſtae. Vniuerſis tam praeſentibus, quam futuris cupimus facere notum, quod, tractatu et deliberatione diligentiſſima in noſtro capitulo habitis, ex vnanimi noſtrorum conſenſu ac venerabilis patris, domini noſtri Marquardi Epiſcopi Raceburgenſis, permutationem fecimus cum diſcreto famulo, *Hermanno*, dicto Peltz, dimittentes et dimiſſuri ſibi in perpetuum, pro piſcatura maiori villae Gardenſee, reditus perpetuos duarum marcarum, a *perpetuo Vicario* ſuae vicariae infra ſcriptae pacifice in perpetuum poſſidendos, quos reditus idem vicarius ſingulis annis in feſto natiuitatis Chriſti in molendino noſtrae eccleſiae, iacente apud ſtagnum Raceburgenſe, dicto molendino *Wolpis*, percipiet et habebit, donec noſtra eccleſia redimat molendinum noſtrum, dictum *Horrennemölen*, ſitum apud idem ſtagnum Raceburg, iuxta antiquum longum pontem, quo molendino redemto idem vicarius in eo ſingulis annis dictos reditus in feſto natiuitatis Chriſti in perpetuum expedite

pedite habebit et tollet. Praeterea vt decet religiosos, volentes cultum diuinum augere, admisimus et concessimus, de consensu dicti domini nostri Episcopi, praedicto *Hermanno* Petz, quod in nostra ecclesia Raceburgensi instaurauit et fundauit *vnam perpetuam vicariam* pro remedio animae suae et parentum suorum, in dicta ecclesia in perpetuum duraturam, *perofficiandam ante altare* dominae nostrae introitu nostrae ecclesiae antecedente; quam vicariam idem Hermannus donauit cum villa Gardensee reditibus, prouentibus et proprietatibus ac omnibus aliis attinentiis dictae villae, de quibus continetur in litteris suis super hoc confectis, sigillatis sigillo illustris Principis et domini, Erici Ducis Saxoniae, praeter piscaturam maiorem et maius iudicium, de quibus est praemissum, et ipsam vicariam, et donauit cum dimidio molendino, dicto molendino Alberti, sito apud longum pontem Raceburgensem, et cum singulis prouentibus, reditibus, proprietatibus et attinentiis dicti dimidii molendini, de quibus habetur similiter in ipsis super hoc confectis et sigillatis sigillo eiusdem principis, et nihilominus dotauit ipsam vicariam reditibus duarum marcarum, dimissis in perpetuum per nos ad ipsam, de quibus reditibus plenius est praemissum. Dictam vero vicariam *Praepositus* nostrae ecclesiae, qui pro tempore fuerint, perpetuo conferet, vel clerico

clerico seculari bene morato, competenter literato et idoneo, infra spatium vnius mensis, postquam constituerit sibi obitus perpetui vicarii praedictae vicariae; si vero praepositus praedictus ipsam vicariam ex negligentia notabili vel malitia infra dictum tempus non contulerit, extunc ad ipsam vicariam praedictus illustris *princeps*, vel qui *ex eius progenie est verus dominus terrae Raceburg*, pro illa vice, clericum secularem bene moratum et idoneum infra tempus sibi a iure statutum praesentabit secundum suae conscientiae iudicium et examen, saepe dictus vero vicarius omni die *per se*, vel per alium *missam* leget infra pulsum primae, et chorum cum nostris canonicis et confratribus ad summam missam, vesperas ac ad matutinas aestatis tempore, nisi absens fuerit rationabiliter et excusabiliter vel de licentia Prioris nostrae ecclesiae, qui pro tempore fuerit, frequentabit cum sua religione docenter: si non vero ipse vicarius contra praedicta excessum habuit, pro illo dictus Prior sibi cum caritate poenitentiam condignam iniunget. Testes vero huius rei sunt: Iohannes prior praedictus, Segebandus, Wernerus, Iohannes de Bluchere, Iohannes Wolpes, Ludouicus de Estorpe senior, Dauid, Hinricus Bilrebeke, Iohannes Barnekowe, Iohannes Bremen, Hildeleng, Paulus Wolradus, Iohannes de Zalem, Petrus Ludolphus Iunior de Estorpe

sacer-

ſacerdotes, Hinricus Vnrowe, Otto de Gronowe, Hartwicus Ioh. Wolthagen, Bernhardus, Diaconi. Detleuus et Elerus Subdiaconi, Canonici noſtri conſentientes plenius ſupradictis. Et ad proteſtationem omnium et ſingulorum praemiſſorum ſigilla noſtra ſcilicet Echardi Praepoſiti et capituli vna cum ſigillo venerabilis patris et domini noſtri Epiſcopi praedicti, praeſentibus ſunt appenſa. Datum Raceburg in noſtro capitulo, anno domini MCCCXXII. in die beati Martini Epiſcopi et confeſſoris. Et nos Marquardus Dei gratia eccleſiae Raceburgenſis Epiſcopus omnibus et ſingulis praemiſſis plene conſentientes in ſignum conſenſus habitionis et confirmationis eorundem ſigillum noſtrum praeſentibus etiam duximus apponendum. Datum anno et die praedictis.

III.

Fundatio altaris ſeu vicariae Sancti Ioannis Euangeliſtae in Capella beatae Mariae Virginis de a. 1392.

In nomine domini Amen. Nos Chriſtianus Praepoſitus, Hildegundis Prioriſſa totusque Conuentus ſanctimonialium monaſterii Buxtehude, ordinis Sancti Benedicti, Verdenſis dioeceſis,

ſis, vniuerſis ac ſingulis praeſentia viſuris ſeu audituris, cupimus fore notum, lucide proteſtantes, diſcretum virum, Conradum Gripp, oppidanum in Buxtehude, in noſtra praeſentia fuiſſe conſtitutum. Qui quidem noſtrae dilectioni, diligenti ſtudio ac feruenti deſiderio, humiliter declarauit, qualiter diſpoſuit ac propoſuit creare et inſtaurare ac de nouo fundare *vnum altare* ſeu *vicariam* in Capella beatae Virginis infra muros oppidi Buxtehude in honorem Sanctorum omnium, beatorum Apoſtolorum Petri et Pauli et Iohannis Euangeliſtae, vndecim millium virginum et beatae Mariae Magdalenae, ob animae ſuae ſuorumque parentum remedium ſalutare, ſponte et libere et pure, de conſenſu ſuorum haeredum proximorum. Ipſumque altare ſeu vicariam elaborauerit bonis prouentibus ac redditibus fideliter dotare, videlicet quatuor marcarum in quinque iugeribus terrae arabilis ſitis in parochia Eſchedebrugge, qui vulgariter dicuntur de Greuenland trans fluuium Eſchede. Item quatuor marcarum redditibus in quinque iugeribus terrae arabilis, ſitis in dicta parochia penes bona Gerlaci Curdes, Coloni in veteri terra. Praedicta vero quinque iugera, quae Greuenland vocantur, iacent penes quindecim iugera pertinentia Domino Praepoſito in Buxtehude, iacentia verſus Aquilonem; ab alia parte iacent bona Bartoldi Röverts

verſus

versus partem Australem. Et hi redditus dictis bonis perpetuis temporibus debent permanere. Insuper viginti duarum marcarum redditibus vsualis monetae, et hi redditus debent exsolui et possunt reemi temporibus suis deputatis, prout clarius poterit patere in quibusdam literis super his confectis, in dicti Altaris capsa seu cista diligenter absconsis. Et si quiscunque redituarius vicariae antedictae decreuerit suos redditus reemere secundum ius et consuetudinem Buxtehude oppidi aut terrae veteris, ex tunc pecunia inde prouenien debet consensu Praepositi in Buxtehude pro tempore existentis, et haeredum et amicorum dicti fundatoris consilio, in alios redditus commendari, prout eisdem videbitur expedire, volensque dictus *fundator* Conradus Gripp iunior *ius patronatus* dicti Altaris apud ipsum primo, quousque vixerit, deinde apud Wicburgim sororem eius legitimam, vxorem Henrici Buk, Consulis dicti oppidi, ipsa viuente, perpetue permanere. Postremo dictus fundator *ius patronatus* dicti beneficii siue *praesentationis* liberis suis legitime procreandis, deinde filiis aut filiabus Hinrici Buk de dicta Wicburge genitis siue generandis, et quidem Seniori, disposuit et voluit pertinere. Quibus vero singulis defunctis, praesentatio eiusdem Altaris ad Consulatum oppidi Buxtehude perpetue pertinebit. Ita videlicet, quod

ſenior proconſul prope tempore exiſtens talem, pro quo praepoſitus in Buxtehude duxerit ſupplicandum, praeſentabit ipſi Praepoſito ad idem Altare inſtituendum. Inſuper dictus fundator diſpoſuit et ordinauit, quod Vicarius dictae Vicariae pro tempore exiſtens ſeu eius officians *miſſas* in dicta capella celebret ſingulis diebus alternatis ſeptimanis, et hoc tempore hyemali in ortu diei, aeſtiuali vero tempore ſole oriente. Quodſi dictus Vicarius pro tempore exiſtens eo tempore et modo praedictis per negligentias dictas miſſas per vnum menſem continue et diſcontinue, in aliquo anno non ſeruauerit, et honeſta cauſa praepeditus non ordinauerit ſeruari; Ex tunc praepoſitus in Buxtehude et conſules in Buxtehude pro tempore exiſtentes poſſunt et debent tollere quartam partem redditTuum illius anni dictae vicariae, et eos in pios vſus conuertere, prout eis videbitur expedire, quoties et quando talis negligentia contingit. Debet etiam dictae vicariae Vicarius hoc modo et ordine *miſſas celebrare*, videlicet dominicis diebus de Trinitate ſecundis feriis et quartis pro defunctis. Tertiis feriis de ſanctis Apoſtolis Petro et Paulo vel de beato Iohanne Euangeliſta, feriis quintis de beata Maria Magdalena vel de corpore Chriſti, ſextis feriis de ſancta Cruce et ſabbatis de Domina.

mina nostra. Coeterum fundationem huius vicariae in dicta capella et missarum celebrationem secundum omnem modum et ordinem superius notatos duntaxat ad futuros octo annos post data praesentium admisimus obseruari; quibus vero transactis si nobis aut successoribus cuicunque nostro honestius aut vtilius fuerit fore visum, ex tunc dicta Vicaria cum singulis suis premissis redditibus et clenodiis ad Ecclesiam beati Petri in opido Buxtehude licite transferatur perpetuis temporibus ibidem duratura, contradictione cuiuscunque penitus exclusa.

Nos igitur Praepositus Priorissa et conuentus praedicti, consideratione, examine et deliberatione diligentius praehabitis, aduertentes, multum fore laudabile tam piam voluntatem exequi, et desideria, quibus cultus diuinus augetur, praemissa omnia et singula modo et forma praemissis vniformiter et concorditer acceptamus, laudamus et approbamus, dictos redditus sub iurisdictione et protectione Ecclesiastica recipimus, et de ipsis perpetuam vicariam in dicta Ecclesia sub praedicta consideratione et conditione fideliter officiandam instauramus, erigimus et fundamus, omni iure et forma quibus melius subsistere poterunt, confirmantes; prouiso tamen specialiter, quod huius vicariae possessor, preposito pro tempore existenti faciet

 obe-

obedientiam, et ſuae pareat iurisdictioni. Requiſitus vero a Vice Rectore beati Petri in Buxtehude ſua ſeptimana vacante, faciet, prout alii vicarii in dicta Eccleſia ſunt obligati. Et oblationes quascunque ad dictum altare factas, Domino Vice Rectori beati Petri in Buxtehude fideliter praeſentabit. Datum anno Domini MCCCLXXXXII. Dominica Quaſimodogeniti, noſtris ſub ſigillis praeſentibus appenſis, videlicet Praepoſiti et Conuentus praedictorum, in teſtimonium omnium et ſingulorum praemiſſorum.

IV.

Fundatio Vicariae in eccleſia oppidi Buxtehude confirmata per Ottonem, Verdenſem Epiſcopum. de a. 1392.

In nomine domini. Amen. Otto Dei et Apoſtolicae ſedis gratia Epiſcopus eccleſiae Verdenſis vniuerſis Chriſti fidelibus praeſentia viſuris, ſeu audituris, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum ſit dignum et honeſtum, dignis honoribus auctorem cultus Deifici fideliter excolere, eundemque, vt pie creditur, ſoluto carnis debito, cateruae coeleſtis fieri conſortem; propterea dilectioni ſingulorum in Chriſto fidelium

lium volumus esse notum, quod, cum discretus vir, *Hermannus Buk*, opidanus opidi Buxtehude, nostrae dioecesis, de consensu et voluntate honorabilis viri, Domini Christiani, Praepositi monasterii Buxtehude, dictae dioecesis, *vnum altare* seu *vicariam* in capella beatae Mariae Virginis in dicto opido, in honorem beatorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum erigendum, construendum, et consecrandum, disposuit et ordinauit, meliori modo et forma, quibus potuit, cum prouentibus, bonis et redditibus sedecim marcarum denariorum legalium, et octo solidorum in agris seu bonis et aedificiis, sitis in terra veteri, nostrae dioecesis, de propriis bonis, sine cuiuscunque iniuria pro ipsius altaris seu vicariae vicarii sustentatione, ob ipsius suorumque parentum animarum remedium salutare, de consensu suorum haeredum, sponte et pure dotauit, perpetuis temporibus ibidem duraturam, prout in litera fundationis siue instaurationis haec praemissa plenius et lucidius declarantur. Cuiusque *ius patronatus* siue *praesentationis* altaris seu vicariae primo apud Hermannum antedictum, deinde apud filium eius Ludolphum Buk, postremo apud Hinricum Buk, ipsis viuentibus, decreuit, et ordinauit iugiter permanere. Quibus vero singulis per mortem sublatis, dictae vicariae totalis collatio siue dispositio ad Praepositum dicti

 mona-

monasterii in Buxtehude, qui pro tempore fuerit, perpetue permanebit. Vnde nobis dictus fundator humiliter supplicauit, quatenus huiusmodi ordinationi praemissae nostrum dignaremur adhibere consensum, ac praedicta omnia ac singula etiam nostrae confirmationis beneficio stabilire.

Nos ergo, consideratione praehabita diligenti, ad piam fundatoris praedicti intentionem, nostrum operi tam laudabili consensum adhibemus, singulas et vniuersas ordinationes institutas nostra auctoritate ordinaria praesentibus in nomine Domini confirmamus, hoc tamen adiecto, quod si dicta vicaria cum suis pertinentiis et singulis eius clenodiis de consensu et voluntate Praepositi in Buxtehude pro tempore existentis ad Ecclesiam Beati Petri fuerit translata, prout narratur in litera fundationis, ex tunc praesens confirmatio dictae vicariae nullum inde sentiat penitus detrimentum. Demum dictae Vicariae vicario, prout nunc Domino Meynardo, praesentibus indulgemus et generose concedimus, habere idoneum *presbyterum suae vicariae officiantem*, qui singula facienda *sui beneficii* conseruet diligenter; necessitate vero vrgente aut legitima causa id idem postulante, tamen parochialibus semper saluis, decernentes, vt quicunque ipsas ordinationes bona et pro-

uentus

uentus in parte vel in toto, confilio vel auxilio occulte, vel manifeste quocunque quaesito colore minuere seu impedire vel refringere praesumserit, ipso facto sententia excommunicationis, trium tamen dierum Canonica monitione praemissa, quam in his scriptis ferimus, sit ligatus in Dei omnipotentis nomine, et nihilominus indignationem summi Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium sanctorum se non dubitet incurrisse. Datum et actum Rodenborch in castro nostro sub anno Domini MCCCLXXXXII. ipso die Purificationis beatae Mariae Virginis, nostro sub sigillo, quod in testimonium praedictorum praesentibus est appensum.

V.

Fundatio vicariae altaris beatorum Apostolorum Petri et Pauli in Capella beatae Mariae Virginis ad primam Missam in oppido Buxtehude de a. 1391.

Vniuersis et singulis praesentia visuris seu audituris. Nos Christianus Praepositus, Hildegundis Priorissa, totusque Conuentus Sanctimonialium monasterii Buxtehude ordinis sancti Benedicti, Verdensis Dioecesis, cupimus esse no-

notum, publice protestantes, quod constitutus in nostra praesentia discretus Vir, Hermannus Buk, Consul in oppido Buxtehude, dictae dioecesis dixit et exposuit, qualiter proposuit creare, instaurare, et de nouo fundare in Ecclesia beatae Mariae Virginis dicti oppidi Buxtehude *vnum altare*, secundum quod vulgariter dicitur, *vicariam*, in honorem beatae Mariae Virginis, beatorum Petri et Pauli Apostolorum et omnium sanctorum, ob animae suae remedium ac parentum suorum, sponte pure et libere, de consensu proximorum haeredum suorum, nec non dotare dictam vicariam bonis prouentibus et redditibus infra scriptis, scilicet octo marcarum, octoque solidorum Hamburgensium denariorum redditibus, in nouem iugeribus terrae arabilis, spectantis ad Petrum de Zelzinge, sitis in Haslewerden in veteri terra, quae idem Petrus nunc colit, percipiendos omni anno infra octauas beati Petri ad Cathedram, qui redditus possunt reemi, ad idem tempus beati Petri quolibet anno pro vinginti quatuor marcis denariorum Hamburgensium praedictorum. Item duarum marcarum redditus in duobus iugeribus terrae arabilis, spectantis ad Hinricum Oldehauern, sitis in Eschedebrugge in veteri terra, quae idem quondam Hinricus coluit dum vixit, percipiendos omni anno infra octauas beati Petri ad Cathedram. Qui redditus possunt reemi ad idem tem-

tempus beati Petri, quolibet anno pro vinginti quatuor marcis denariorum Hamburgensium praedictorum. Et si praedictos redditus omnes aut aliquos ex eis aliquando reemi contigerit, secundum ius et consuetudinem opidi Buxtehude, et terrae veteris praedictorum, ex tunc pecunia inde prouenieus debet de consensu Praepositi in Buxtehude pro tempore existentis, et dicti fundatoris ac haeredum et amicorum suorum consilio in alios redditus commutari, prout videbitur expedire. *Ius* vero *patronatus* dictae vicariae dictus fundator voluit et dispofuit ad tempus penes certos suos pueros et amicos permanere, inferius nominatim expressos, sub forma et ordine praesentibus annotatis, videlicet, quod ipse Hermannus primo, Ludolphus eius filius, Hinricus Buk, filius vxoris suae Hebelen, ita quod primo Ludolphus, postea Hermannus, deinde Hinricus, quociens dictam vicariam vacare contigerit, ipsis viuentibus, vel alicui ex illis valeat et debeat ius patronatus siue *ius praesentandi ad ipsam personam idoneam de linea consanguinitatis dicti Hermanni Buk*, si fuerit aliquis; Si vero non fuerit, aliam personam idoneam obtinere et possidere. Ipsis vero Hermanno Buk, Ludolpho et Heinrico de medio per mortem sublatis, collatio dictae Vicariae ad Praepositum in Buxtehude, qui pro tempore fuerit, dictus Hermannus disposuit debere

 libere

libere et perpetue deuolui. Insuper dictus fundator dispofuit, et ordinauit, quod Vicarius dicte vicarie pro tempore existens, *missas* in dicta Ecclesia celebret singulis diebus, alternatis septimanis, tempore aestiuali in ortu solis et tempore hyemali in ortu diei. Quodsi dictus Vicarius pro tempore existens eo tempore et modo praedictis per negligentiam dictas missas per vnum mensem continue, vel discontinue in aliquo anno non seruauerit, vel ex iusta et honesta causa praepeditus per alium seruari non ordinauerit, extunc praepositus in Buxtehude et Consules opidi Buxtehude pro tempore existentes possunt et debent, tollere quartam partem reddituum illius anni dictae vicariae, et eos in pios vsus conuertere, prout eis videbitur expedire, quociens et cum talis negligentia contingit. Et debet etiam dictus vicarius hoc modo et ordine missas celebrare, scilicet dominicis diebus de sancta trinitate; secundis et quartis feriis pro defunctis, tertiis feriis de sanctis Apostolis Petro et Paulo, vel de omnibus sanctis, feriis quintis de Corpore Christi vel de Angelis sanctis, sextis feriis de sancta cruce, et sabbatis de Domina nostra. Nos igitur Prepositus, Priorissa, et Conuentus praedicti consideratione, examinatione et deliberatione diligentibus praehabitis, aduertentes, multum fore laudabile tam piam voluntatem exequi, et desideria, quibus cultus diuinus augetur, praemissa omnia ac sin-

singula modo et forma praemissis vniformiter et concorditer acceptamus, laudamus et approbamus, dictus redditus et agros sub iurisdictione et protectione ecclesiastica recipimus, et de ipsis perpetuam vicariam in dicta ecclesia solum ad quinque annos post data praesentium proxime futuros, quibus vero elapsis, si tunc nobis aut successoribus nostris, qui pro tempore fuerint, commodius et vtilius videbitur expedire, eandem vicariam in ecclesia nostra parochiali beati Petri Apostoli in praefato opido Buxtehude perpetuo officiandam, instauramus, erigimus et fundamus, omni iure et forma, quibus melius subsistere poterunt confirmantes, prouiso tamen specialiter, quod huiusmodi vicariae possessor, praeposito tempore existenti, faciet obedientiam ac suae pareat iurisdictioni, et requisitus a Vice Rectore beati Petri dicti opidi promissis cantandis, dum sua septimana sibi vacauerit, faciet, prout vicarii in dicta Ecclesia beati Petri sunt obligati. Coeterum volumus, vt praefati Vicarii vel alter eorum se a praenominatae primae missae celebratione abstineant, quando et quotiens ipsi Vice Rectori praedicto ex causa legitima videbitur expedire, et quascunque oblationes eidem Vice Rectori praesentabit. Datum Anno Domini MCCCLXXXXI. ipso die omnium Sanctorum sub appensione nostrorum sigillorum in euidens testimonium omnium et singulorum praemissorum.

AP-



APPENDIX DOCVMENTORVM,

Ius aduocatiae et ius patronatus illustrantium.

I.

Diploma Friderici II. Imp. pro monasterio Vttenburensi in Sueuia, quo definiuntur officia et iura aduocati. A. 1219.

In nomine Dei aeterni et Saluatoris nostri Iesu Christi. *Fridericus secundus* diuina fauente clementia Romanorum Rex semper Augustus et Rex Sicilie. Si loca religiosa et ea, que diuinis cultibus deputata, Regum seu Imperatorum, predecessorum nostrorum, donis ditata sunt et priuilegiis roborata; dignum vidimus et honestum, dona ipsa et priuilegia in perpetuum confirmare. Notum itaque fore volumus omnibus Imperii nostri fidelibus, tam presentibus, quam futuris, quod nos, *Vttenburensis ecclesie* libertatem, ab antiquis regibus et Imperatoribus sibi collatam, nequaquam infringere, aut diminuere, sed corroborare et ampliare potius cupientes, scriptum predecessorum nostrorum, Lotharii et Domini Friderici, aui nostri, Impera-

peratorum felicis memorie, propter veritatis euidentiam, quod placuit nobis in presenti pagina interferere, vt deinde nostre traditionis et filii nostri Henrici Sueuorum Ducis et Rectoris Burgundie possimus edita ordinatione ab onere competenti. Est autem huiusmodi scriptum Imperatoris Lotharii: priuilegia venerande ac sancte Congregationis Vttenburensis cenobii ab antecessore nostro Carolo Magno, Romane Sedis Aduocato, fundati, nec non per Ottonem Imperatorem, eiusdem successorem, cum regionis Sueuorum, beati videlicet Vdalrici Augustensis Ecclesie, simulque sacre Constantiensis Ecclesie Curado praesulibus, et Duce *Burchardo*, ceterorumque principum eiusdem prouincie confirmata. Quum diuina gratia sublimati successores praedictorum existimus Imperatorum, omnimodo in antiqua dignitatis libertate stabilire, stabilita corroborare, et corroborata volumus sigillare. Decernimus itaque secundum ab antecessoribus nostris eidem praefate ordinata et confirmata Abbatie fratres inter se liberam ac canonicam electionem sine cuiusqnam contradictione secundum sancti et eximii Patris Benedicti regulam habeant, quem meliorem et vtiliorem sibi inuenerint. Sin autem, quemcunque diuina gratia ad hanc ordinauerit dignitatem, vbicunque reperiatur Abbas eiusdem claustri successoribus praesentetur,

et

et repraesentatus sublimetur *per regalia* confirmatus. Quisquis autem Abbas inibi constituatur, ab omni liber regio negotio, Deo liberius quatenus deseruiat, expediatur, nihil vt ab eo, duos preter *vnius coloris canes*, exigatur, idque religiosae congregationis cenobio in testimonium libertatis eternaliter relinquatur, eo tamen tenore, vt predia cum mancipiis, deliberatione communis consilii, pro libertate praefata ab eadem abstracta regia potestate cunctis in beneficium Ducibus alemanniae concedantur, quorum nomine sunt haec: Oppidum Vniumdingen, Trunquea, Spergae, Husem, Diedrichshoffen, Wienhausen, Wahle, cum decimis in Hillemgieue, Aduocatia Ecclesie in Steinheim, Aduocatia Ecclesie in Stiersdorff decime autem prefatorum prediorum a curtis villicorum in domum elimosinariam, pauperes ad reficiendos, secundum antiqua statuta ad nos delata eodem tradantur. Precipiendo vero precipimus, ne quis eiusdem Abbatie Aduocatus *quasi hereditario iure* inibi constituatur; Sed quilibet voluntate Abbatis fratrumque suorum *pro defensione* eiusdem monasterii *eligatur*. Commissa vero *Aduocatia*, pro *regio iure* nobis ceterisque successoribus nostris facta iurisiurandi fidelitate, similiter iuret Abbati, *quod secundum posse et nosse iustus ac vtilis Aduocatus in res et homines predicti Monasterii existat, et quicquid placitando*

tando acquisierit, vna parte sibi retenta, duas persoluat Abbati, et nullum preter se Aduocatum vel exactorem constituat, nec aliquid priuati et publici muneris vel a locis, vel ab homine eiusdem Monasterii, quasi ex debito vel ex statuto iure, exigat amplius. ad vnum quemque locum, quem Abbas ad placitandum ordinauerit cum duodecim viris, totidemque equis, semel tantum in anno veniat, nisi pro necessitate aliqua ab Abbate, eius vel minister aduocetur, ac tunc honeste procuretur. Item infra locum vero monasterii, vel alia eodem pertinentia, nullum vnquam placitum legitimum instituat, omnino interdicimus, nec aliquos de familia eiusdem cenobii, siue ministeriales, siue seruos, sine iusta deliberatione suorum consociorum, damnet, vel aliqua iniuria offendat, qui tamen ministeriales optimo, quo fruuntur Fuldenses et Augenses, iure potiantur. Et vt in omnibus Abbati promptiores existant et fideliores, ab omni eos *regie seruitutis debito* absolutos esse volumus. Si autem in aliquo istorum deuiauerit, nisi infra quadraginta dies restituerit, gratia nostra successorumque nostrorum sine spe recuperationis priuatus deponatur. Et ne forte aliquis Aduocatus aut tyrannus eo licentius sibi vsurpet aut vindicet aliquid ex his, que sunt Abbatis et fratrum eius, quasi nostri iuris non sit; nouerint omnes fideles nostri, quemadmodum

modum dominus Imperator primitus magis pro defensione, quam seruitutis vtilitate suscepit, ita et nos strenuissimos rectores et defensores esse sciat. Preterea firmiter statuimus, nequis Abbatum de prediis, siue de reditibus Ecclesie, que in presentiarum possidere cernitur, seu in futurum possidenda acquisierit, aliquam inibi beneficiare presumat personam, sed omnia integre ad vsus fratrum conseruentur et inconuulsa. Hoc si quis, quod absit, ad sui ipsius perditionem temerarie presumserit, dignitate sibi collata careat, et alius dignus Abbas pro eo eligatur, qui hec inuiolabiliter conseruet. Abbas et Monachi ibidem Deo seruientes a consuetudine Hirsaugiensium, quam hactenus habuisse videntur, declinare nullo modo presumant, sed in proposito sancti viri Roperti Abbatis diuinis orationibus insistendo vigilanter persistere contendant. Ministeriales quoque eiusdem Ecclesie a *regali expeditione*, et a seruicio, quod vulgo dicitur *Heersteuer* penitus absoluimus, similiter et homines. Vt igitur tam Domini Imperatoris Lotharii scriptum, quam Domini Friderici, aui nostri, Imperatoris memorie felicis, Edictum omni euo ratum conseruetur et firmum, et a nulla persona seculari vel Ecclesiastica valeat immutari, eorum priuilegia duximus perpetuo confirmanda. Et quia insuper Aduocatiam prefate Vtenburensis Ecclesie, in feudo

ſeudo per Conradum Abbatem eiusdem Monaſterii nobis traditam et conceſſam, ſupra dicto filio noſtro, duci Sueuorum et Burgundie rectori, conceſſimus; ſtatuimus, vt aduocatia ipſa nullo modo alienetur, ſed eidem duci filio noſtro dabitur annuatim de qualibet huba, ſita in ea parte, que Gew dicitur, modius ſtrigiti et modius ſilignis, et agnus vel decem et octo denarii, et de qualibet huba ſita in parte illa, que tant dicitur, maltrum auene et agnus vel decem et octo denarii; de villa vero Vtenborenſi dabuntur annuatim ſex libre in collecta. Indulgemus etiam vna cum ipſo filio noſtro, vt liceat miniſterialibus et a nobis feuda habentibus, ad imperium ſeu ducatum ſpectantia, dare Eccleſie Vtenborenſi ea pro ſuis animabus. Item ſi miniſter eiusdem filii noſtri, ſuper ipſa Eccleſia inſtitutus circa ipſum Monaſterium aliquid nequiter egerit, ad preces Abbatis debeat amoueri. Ad cuius rei perpetuam firmitatem preſens priuilegium fieri fecimus, ſigilli noſtri munimine roboratum. Huius rei teſtes ſunt: Henricus maior Conſtantienſis Prepoſitus, Imperialis aulae protonotarius, Conradus Burggrauius de Nurenberc, Conradus de Luoben, Ebirhardus Dapifer de Tanne, Conradus, Euirhardus de Winterſtedten, Burchardus de Hohenholt, Henricus et Vlricus de Schonecke, Wolff Satil, Haldenwanc Swicecus de Mindilwen, Or-

 thol-

tholphus Constantiensis Canonicus, Waltherus de Egge et alii quam plures. Datum apud *Wingarten* anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono decimo, pridie 9. Ianuarii, indictione octaua, regnante domino nostro Friderico illustrissimo Romanorum Rege semper Augusto et Sicilie Rege, anno vero Romani regni eius in Germania octauo et in Sicilia vigesimo secundo feliciter. Amen.

II.

Hartwici Archiepiscopi Bremensis constitutio, ne quis Zcuenensis monasterii Aduocatus litones *Vare*, hoc est, *captione* distringat A. 1199.

HARDEVICVS Dei gracia sancte Bremensis ecclesie Archiepiscopus, vniuersis Christi fidelibus in vero salutari salutem. Commodis ecclesie tum diuine retributionis obtentu, tum pie dilectionis affectu pro posse nostro libenter consulentes, significamus tam presentis quam successiue etatis hominibus, quod, ad consensum et fauorem voluntarium *Comitis* ADOLPHI, Zeuenensis ecclesie dei et nostro beneficio *Aduocati*, pro Deo et pro orationibus famularum Christi ibidem Deo famulantium, hoc

hoc priuilegium libertatis in perpetuum contulimus, vt nullus deinceps *Aduocatus*, nec aliquis *vicem Aduocati* gerens in aliquo *iudicio* vel placito, publico vel priuato, insidiari debeat litonibus predicte ecclesie Zeuenensis ea districtione, que teutonice *Vare* vocatur. Hec autem vt inconuulsa et inuiolata semper permaneant, presenti scripto et sigilli nostri impressione roborauimus, ea sub anathematis impositione, autoritate dei omnipotentis et beati Petri et nostra confirmantes, vt si quis contra hec prenominate ecclesie litones in hac re aliquo modo grauare presumserit, diuine vltioni, nisi resipiscens satisfecerit, subiaceat.

Testes *prelati* ecclesie nostre:

Dominus Segebodo Abbas Rosaueldensis.
Dominus Christophorus, Abbas monasterii beate Mariae apud Staden.

Canonici maioris ecclesie:

Hermannus in Hamborg Prepositus.
Hartwicus Bremensis ecclesie Custos.
Hermannus ad sanctum Anscharium in Brema Prepositus.
Heinricus maior Scholasticus.
Radolphus Cellerarius.
Magister Alexander.
Magister Bernardus.
Dominus Burchardus.

Herbertus ad ſanctum Stephanum Prepo-
poſitus.
Magiſter Godeſcalcus.

Laici nobiles:

Comes Adolphus, Kiuena Aduocatus.
Comes Mauritius.
Comes Heinricus.
Comes Borchardus.

Miniſteriales:

Alardus Bremenſis Aduocatus.
Alardus filius ipſius.
Otto de Leuimundt.
Mangoldus Fernandus.
Bobo Mesherus.
Heinricus de Lyd.
Gerfridus de Burg.
Gerardus de Gropelinge.
Heinricus de Buzzel et alii quam plures.

Datum decimo ſeptimo Idus Iunii Anno Dominice incarnationis. MCXCIX.

III.

Hartbertus Hildenſemenſis epiſcopus confirmat reſignationem Aduocatiae trium curiarum in dioeceſi Mindenſi a Konone de Depenow factam a. 1211.

In nomine ſanctę et indiuidue Trinitatis. *Hartbertus* dei gratia Hildenſemenſis Epiſcopus. Ad

Ad cautelam futuri temporis notum omnibus esse volumus, quod *nobilis vir*, KONO de *Depenowe, aduocaciam super tres curias Hospitalis sancti Iohannis*, que sunt in villis *Lammeste, Lone, Dutteberg*, de manu nostra tenuit, et de manu ipsius Lefhardus de Emplede tenuit eamdem, et pretextu iuris sui bonis eisdem iniuriosus extitit et molestus. Vnde custos Hospitalis, *Hermannus* sacerdos, datis viginti marcis, ipsa bona liberauit ab *omni onere aduocatie*, ita quod predictus Lefhardus aduocaciam memoratam *nobili viro* KONONI de *Depenowe*, resignauit, et ille nobis resignauit, consentiente et collaudante *filio ipsius* THIDERICO, nosque contulimus eamdem pleno iure, et banno firmauimus domui Hospitali, districte inhibentes, ne vllus hominum de cetero *in eisdem bonis ius aut nomen Aduocati* sibi vsurpare presumat, sed ipse custos Hospitalis, quisquis pro tempore fuerit, huius nominis et iuris plenam habeat potestatem. Quicunque autem contra hoc nostrum statutum venire temptauerit, nouerit, se auctoritate dei omnipotentis et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et nostra, excommunicationis vinculo innodatum, donec digne resipiscat, et satisfaciat competenter. Vt igitur haec ordinatio nec obliuione deleatur, nec in irritum reuocetur, presentem paginam inde conscriptam sigilli nostri signauimus impressione.

Actum anno Domini M. CC. XI. in presencia testium, quorum haec sunt nomina: Comes scilicat Conradus de Roden, Bernardus de Leueste, Henricus de Stockem, Heyricus de Wynnigehusen et fratres suus Arnoldus, Arnoldus Dapifer, Engelbertus Thane, Henricus de Herenbere, et quam plures, vt in litera sigillata plenius adapparet. Recognita quoque et confirmata est hec ordinacio in Capitulo Hildensemensi in solempni Placito, in presencia nostra et totius Capituli, presente quoque Domino Frederico, Halberstadensi Episcopo, et Domino Conrado, Myndensi Electo, in cuius diocesi sita sunt bona predicta: ideoque sigillum suum apponere dignatus est.

IV.

Conradus, Hildensemensis episcopus a Thiderico Nobili de Depenow cum filio Thiderico demissam esse declarat Aduocatiam Archidiaconatus in Hohenhameln a. 1227.

CONRADVS dei gracia Hildensemensis Episcopus. Notum sit omnibus presens scriptum inspecturis, quod *vir nobilis Tidericus* de *Depenowe*, qui ius sibi dicebat *aduocacie* Archidia-

diaconatus in Honhamelen, omni iuri, quod sibi vendicabat, siue quod competebat *ei iure feodali de manu nostra in eisdem bonis*, in manum nostram renunciauit, acceptis a dilecto fratre nostro, magistro Iohanne, tunc eiusdem loci Archidiacono, vndecim marcis argenti: quamquam idem Iohannes prefatum *Thidericum* nihil in bonis eisdem iuris habuisse diucius contendisset. Et ad habundantem cautelam *filius* antedicti *Thiderici* eamdem renunciacionem siue cessionem, licet a nobis nichil teneret in feodo, in presencia nostra suo firmauit assensu. Nos vero ad peticionem prefati Iohannis Archidiaconi sibi et successoribus suis hoc annuimus et concessimus, vt de cetero omni tempore bona predicta *ab omni aduocacie onere et iure sint libera*, statuentes, vt nullus eum vel suos successores eo pretextu aliquid audeat molestare. Et ad maiorem huius facti et nostre concessionis firmitatem, eam banni nostri auctoritate roborandam, et presens scriptum sigilli nostri impressione duximus muniendum. Huius rei testes sunt: Sifridus quondam Hildensemensis Episcopus, Conradus maior Prepositus, Conradus decanus. Hermannus, Bertoldus, Rodulfus, Conradus, Sifridus, sacerdotes. Burchardus Prepositus Brunsuicensis. Iohannes Scholasticus, Prepositus Bardwicensis. Hugo Prepositus sancte Crucis. Conradus Prepositus sancti Mauri-

 cii.

cii. Henricus de Toſſem, diaconi. Wicboldus, Iohannes, Cellerarius, Fredericus, Sigebodo, Meynardus, Subdiaconi, omnes Canonici Hildenſemenſes. Laici: Hethenricus Vice dominus de Ruſtenberch. Villicus de Roſendale. Thidericus de Holthuſen. Bertholdus de Gleidinge. Iohannes de Eſebeke. Ludolfus de Adenſtede. Gerungus de Buninge. Volcmarus de foro. Hermannus de ſancto Georgio. Conradus Penting. Conradus de Wezen. Sifridus et alii plures. Acta ſunt hec *Hildenſem* in capella beati Laurencii. Anno dominice Incarnacionis M. CC. XXVII. X. Kl. Nouembr. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

V.

Wilhelmus, Mindenſis Epiſcopus Aduocatiam bonorum coenobii Nendorpienſis hactenus violenter occupatam recuperatam pronunciat. a. 1241.

WILHELMVS, dei gracia Mindenſis Epiſcopus. Theodoricus Prepoſitus, Giſelbertus decanus totumque eiusdem eccleſie capitulum. Vniuerſis hanc paginam inſpecturis eternam in Chriſto ſalutem. Quum ea, quae geruntur ſub tempore, labi conſueuerunt cum tempore,

pore, et ab humana memoria, que labilis est, excidunt, scriptis non inmerito et testium amminiculis roborantur. Omnibus igitur Christi fidelibus notum esse volumus, quod nos *aduocaciam bonorum cenobii in Nentborpe*, a *Comite de Hoia* violenter occupatam, de ipsius consensu, tactis sacrosanctis ewangeliis, iuramentis nostris ac multorum prelatorum et presbiterorum obtinuimus, et a plurimis adprobata in ipsius presencia dictauit sentencia, quod tam nos, quam predictum cenobium ab eiusdem *Comitis inpeticione a predicta aduocacia* securi et quieti deinceps esse deberemus. Nos autem de communi consensu domino Deo ac beato Petro et sancto Gorgonio firmissime promisimus, et presenti scripto nos insuper obligauimus super eo, quod *aduocacia* sepedicta nec *obligacionis nec infeodacionis titulo vllo vmquam tempore alienabitur*. Si quis vero hec tam sollempniter consummata violare presumpserit, eterno excommunicacionis vinculo innodabitur. Vt hec autem rata et inconuulsa permaneant, et ne hoc factum nostrum vlli vergat in dubium, hanc paginam conscribi fecimus, et sigillorum nostrorum munimine roborauimus. Testes huius rei sunt Theodoricus de See, Prepositus. Giselbertus Decanus. Waltherus Cellerarius. Widekindus Custos et Scholasticus. Bruno Cantor. Bodo Prepositus. Wernherus, Prepositus

ſancti Martini. Heinricus de Baſthorpe, Widekindus de Hoia. Iuſtacius de Vornholte. Prepoſitus Iohannis Bremenſis. Cono Canonicus. Alexander Canonicus. Heinricus de Slon. Albertus Canonicus. Thidericus de Callendorpe. Godefridus Vicarius. Heitholfus Vicarius. Iohannes Vicarius. Bernhardus, Abbas ſancti Mauricii et confratres ſui. Guntherus Prior, et Guntherus Iunior. Conradus Abbas Scinenſis. Iohannes, Prepoſitus de Lacu ſanctae Marie. Lambertus ipſius loci prepoſitus. Canonici ſancti Martini: Heinricus Decanus. Heinricus de Landeſberge. Canonici ſancti Iohannis: Heinricus et Gerhardus. Sacerdotes ſancte Marie. Iohannes et Wolbertus. Gotzwinus de ſancto Symone. Otto Comes de Flotowe. Conradus Comes de Wilipa, Dnus Hermannus de Arhem. Oſnabrugenſis, Thethardus de Aſpelecampo. Hereuordenſis, Gerhardus de Suninhuſen. Iohannes de Arnholte, Mindenſis. Conradus de Mandeslo. Lippoldus filius ipſius. Wuluerus de Libeke. Engelbertus. Tidericus de Ekeſen. Albertus de Ofleten. Hartbertus. Rotbertus de Suege. Lambertus de Menthem. Bernhardus de Nigenborg. Reinoldus de Northelo. Waltherus et Heinricus, ſimplices, et alii quam plures. Acta ſunt hec anno ab incarnacione domini. M. CC. XL. primo.

VI.

VI.

Henricus Comes de Oldenburg Conrado Abbati Schinnensi ex voluntate Wilhelmi Mindensis Episcopi pro CXXIII. marcis argenti oppignorat Aduocatiam coenobii. a. 1238.

Ego HEINRICUS Comes de *Aldenburch*, omnibus hoc scriptum inspicientibus in perpetuum. Ne processu temporis euanescat, quod agitur, diligenti literarum testimonio commendatur. Notum igitur sit omnibus, quod ego, maturo ministerialium meorum vsus consilio, fratrum et coheredum meorum requisito et habito consensu, *Aduocaciam* cenobii Schinensis, tam *mancipiorum*, quam *prediorum* et *possessionum*, cum omnibus pertinenciis suis, domino *Conrado* abbati et Capitulo Schinnensis ecclesie pro centum viginti tribus marcis argenti nomine ecclesie antedicte integraliter obligaui, nichil mihi prorsus iuris excipiens vel reseruans. Sane eadem pecunia milites, qui Minde pro me obligati fuerant, expediui. Ea propter iidem milites fide media promiserunt, quod quidquid incommodi vel molestie a quocunque ecclesie prenominate in bonis taliter obligatis irrogatum fuerit, tanquam res et bona propria bona fide, postquam eis significatum fuerit, rebus et cor-

pore

pore defensabunt. Sunt autem hii milites: Hinricus de Horseholte, Tidericus Heimo, Tidericus Bordeke, Arnoldus Blome, Hildebrandus de Alemoltere, Reinerus Curtelange. Hanc eciam fidem militarem receperunt manualiter, Nobilis vir, Conradus de Wardenberge, Heinricus de Hasberge, Hermannus de Buren, Conradus de Holle, Iohannes Wichmannus de Dulne, Otto de Vrbe, Otto de Brockhoue, Wecelus de Gestorpe, Iohannes Knigge, milites. Quodsi ego vel aliquis fratrum aut coheredum meorum ecclesie iam dicte, pendente obligacione ista, vel alter quispiam nomine nostro, molestie vel iniurie quicquam irrogare praesumpserit, quod absit, sentenciam excommunicacionis ipso facto iuxta pollicitacionem meam me profiteor incidisse. Acta sunt Wildeshusen anno domini MCCXXXVIII. Indictione sexta, presentibus istis: Gerhardo Decano, Sifrido, Ioseph, Rathardo, Nycolao, magistro Iohanne, Alberto custode, canonicis Wildeshusanis. Nobilibus viris: Cunrado de Wardenberch, Heinrico de Brokhusen, Iohanne de Grauenhorst, militibus. Godescalco de Holtorpe, Burchardo et Willelmo de Rusne, Reisnero Minneuot, Eislardo Greuinc, Erico Cranz; militibus supra nominatis, et aliis quam pluribus. Vt autem iam sepe dicta obligacio perpetuum firmitatis robur obtineat, placuit presentem paginam domini

domini Willelmi Mindensis Episcopi, ecclesie Wildeshusensis, meo, fratrum et coheredum meorum sigillis roborari.

VII.

Wilhelmus, Mindensis Episcopus, Aduocaciam omnium bonorum ad monasterium Schinnense pertinencium, a Nobilibus de Oldenburg emtam, Schinnensi ecclesiae vendit. a. 1242.

WILHELMVS dei gracia Mindensis Ecclesie Episcopus, Tidericus, Prepositus, Giselbertus Decanus, totumque eiusdem ecclesie Capitulum vniuersis, ad quos presens scriptum peruenerit, eternam in Christo salutem. Dignum est et racioni consentaneum, vt, que geruntur sub tempore, scriptis commendentur et sigillorum ac testium munimine roborentur, ne tempus ea labile vel hominum obfuscet obliuio. Omnibus igitur tam presentibus quam futuris huius scripti inspectoribus notum esse volumus, quod nos *Aduocaciam omnium bonorum* ecclesie Scinnensi pertinencium, multis laboribus et expensis a Nobilibus de Oldenborch conquisitam, eidem Scinnensi ecclesie pro centum et quinquaginta marcis vendidimus, aut si qua in posterum

com-

comparabit, hac tamen condicione adiecta, quod in nouem domunculis Repolthusen in campo sitis omni exactione cessante iudicium tribunale nobis reseruauimus, et si quis alius fructus ab eisdem prouenire poterit, ecclesie Scinnensi debetur. Dicta vero ecclesia Scinnensi se nobis et ecclesie Mindensi *sub pena Aduocacie* obligauit, quod neque per se, neque per Abbatem pro tempore prefuturum *dominio alicuius Aduocati* se subiiciet. Alioquin dicta *Aduocacia* cum omni iure *ad ecclesiam nostram* reuertetur. Vt autem hec rata et inconuulsa permaneant, presentem paginam conscribi fecimus, et sigillorum nostrorum munimine roborauimus. Testes autem huius rei sunt: Wernherus Prepositus sancti Martini, Bodo Prepositus sancti Iohannis, Waltherus Cellerarius, Wedekindus Hoya, Canonicus, Bruno Cantor, Wedekindus Scholasticus, Magister Hinricus, Didericus de Callendorpe, Dominus Alexander Canonicus, Magister Geroldus, Bernhardus Abbas de Insula, Lambertus Prepositus de Nendorpe, Iohannes Prepositus Berkinhusensis, Egilbertus Prepositus de Ouerenkerken, Hinricus Comes de Hoya, Henricus Comes de Oldenborch, Hinricus et Ludolphus Comites de Oldenborch, Conradus Comes de Wunstorpe, Conradus Comes de Welpa, Wedekindus Aduocatus de Monte, Didericus et Bernardus Nobiles de Lo, Conradus

radus de Mandeſto et Lippoldus filius ſuus, Didericus de Ekeſſen, Hermannus et Borchardus fratres de Buren, Didericus Heime, Ludewicus et Rogerus et Conradus fratres de Bardelage, Meinfridus de Bahuſen, Conradus de Hemmenhuſen, Alexander et Helembertus Camerarii, Conradus de Vflen, et alii quamplures. Acta ſunt hec anno domini M. CC. XLII. ſub Abbate Conrado. Datum Minde.

VIII.

Wilhelmus, Rex Romanorum, Schinnenſi monaſterio confirmat Aduocatiam recens comparatam. a. 1251.

WILHELMVS dei gracia Romanorum Rex ſemper auguſtus. Vniuerſis Imperii fidelibus, preſentem paginam inſpecturis, graciam ſuam et omne bonum. Decet regalem excellentiam precibus condeſcendere ſubditorum, et eas interdum liberaliter exaudire. Ea propter dilectorum noſtrorum fidelium, abbatis et conuentus monaſterii in Scynna, ordinis ſancti Benedicti, Mindenſis diocеſis, ſupplicacionibus inclinati, *aduocaciam omnium bonorum predicti monaſterii*, quam racionabiliter ſe habere proponunt, vel eorum, que inpoſterum iuſtis modis

dis poterunt adipisci, et specialiter *aduocaciam*, quam a Mindensi episcopo, sui capituli accedente consensu, pro centum et quinquaginta marcis vsualis monete se asserunt *redemisse*, quam eciam dictus episcopus ab *Henrico Comite de Aldenborg* et suis coheredibus emisse dicitur, eisdem abbati et conuentui et predicto monasterio liberalitate regia confirmamus, mandantes vniuersis et singulis, auctoritate regia firmiter precipiendo, vt nullus sit, qui eos contra hanc nostram confirmationem impedire audeat, vel eciam molestare. Quod qui facere presumpserit, grauem Celsitudinis nostre offensam se nouerit incursurum. In cuius rei testimonium presentes litteras exinde conscribi, et sigillo Maiestatis nostre iussimus communiri. Datum in castris ante Bobardiam VI. Kalend. Septembris, Indictione IX. Anno Domini M.CC.L. primo.

IX.

Conradi Abbatis Schinnensi promissio, de non alienanda deinceps Aduocatia sui monasterii, quam beneficio Mindensis Episcopi Wilhelmi a Comitibus Oldenburgicis nactus est. de a. 1242.

CONRADVS dei gracia Abbas totumque Schinnensis ecclesie Capitulum vniuersis, ad

ad quos presens scriptum peruenerit, eternam in Christo salutem. Dignum est et rationi consentaneum, vt que geruntur sub tempore, scriptis commendentur, et sigillorum ac testium munimine roborentur, ne tempus ea labile vel hominum obfuscet obliuio. Omnibus ergo tam presentibus quam futuris huius scripti inspectoribus notum esse volumus, quod *Aduocatiam omnium bonorum, ecclesie nostre pertinentium*, ab Episcopo Mindensi *Wilhelmo* multis laboribus et expensis a *nobilibus* de *Oldenborch* conquisitam, nostre Ecclesie a prefato Episcopo et Ecclesia Mindensi pro centum et quinquaginta marcis emimus, aut si que bona inposterum poterimus comparare, hac tamen conditione adiecta, quod in nouem domunculis, *Repholthusenn* in Campo sitis, omni exactione cessante, Iudicium tribunale sibi Episcopus et prefata Ecclesia reseruarunt, et siquis alius fructus ab eisdem prouenire poterit, nostre Ecclesie debetur. Nos vero Episcopo et iam sepius prefate Ecclesie *sub pena aduocatie* nos obligauimus, quod neque per nos, neque per Abbatem pro tempore prefuturum, *dominio alicuius aduocati* subiiciemus; alioquin dicta aduocatia cum omni iure *ad Ecclesiam Mindensem* reuertetur. Vt autem hec rata, et inconuulsa permaneant presentem paginam conscribi fecimus, et sigillorum nostrorum munimine roborauimus. Testes autem huius rei sunt:

S Wer-

Wernerus Prepositus sancti Martini, Bodo Prepositus sancti Ioannis, Walterus Cellerarius, Widekindus de Hoya, Bruno Cantor. Bernardus Abbas de Insula, Lambertus Prepositus de Nendorpe, Heinricus Comes de Hoya, Heinricus et Ludolphus Comites de Aldenborch; Theodoricus et Bernardus nobiles de Loh, Conradus de Mandelslo, Alexander ac Helenbertus Camerarii, Conradus de Vflen, et alii quamplures, Acta sunt hec anno Domini M. CC. XLII. Datum Minde XVI. Kalend. Aprilis.

X.

Hildeboldus Comes de Limbere Aduocatiam hereditariam Monasterii Insulae beatae Mariae Mindensis dioeceseos dimittit Praeposito Tiderico. a. 1223.

HILDEBOLDVS *Comes* de *Limbere*. Omnibus, ad quos presens scriptum peruenit, salutem. Nouerint omnes tam presentes, quam futuri, quod, cum pie recordationis *pater* meus, CONRADVS *Comes* de *Rotben* in loco patrimonii sui, qui nunc *insula* beate *Marie* dicitur, in diocesi Mindensi, super ripam *Laine* fluminis sita, ecclesiam in honore beate et gloriose semperque virginis dei genitricis Marie,

rie, pro anime sue suorumque remedio *construxisset*, ordinatisque in ea personis deo seruientibus, ipsam de bonis suis pro posse et facultatibus suis *ditasset*, eam *sibi* et *suis successoribus* in bonis eiusdem ecclesie potestatem retinuit, *vt*, *quicunque in sua successione pro tempore maior esset*, *honorem et ius aduocatie in ipsis haberet*. Postmodum vero, defuncto patre meo, cum ad diuisionem hereditatis paterne *frater* meus, *Comes Conradus* de *Lewenrothe*, et ego, conueniremus, *in partem hereditatis mee* predicta deuenit aduocatia; in partem vero fratris mei *aduocatia bonorum*, que predicta ecclesia in villa *Lethere* habet. Considerans vero TIDERIC *eiusdem loci prepositus*, quod, licet per me nunquam in bonis predicte ecclesie aliquid sustinuisset grauaminis vel molestie, tamen, quia secundum successiones et qualitates temporum mores mutantur hominum, et que a me non sustinuit, a meis heredibus posset forsan ecclesia sua sustinere, a me optinuit, quod *omni iuri*, quod in predicta michi competebat *Aduocatia*, renuntiaui penitus, acceptis ab eo et ecclesia sua sexaginta quinque marcis, repromittentibus quoque factum meum *vxore* mea, *Hadewige Comitissa*, *filiis* quoque meis, quos tunc ex ipsa habui, *Conrado, Hermanno* et *Ludolfo*, presente quoque *fratre* meo, *Comite Conrado* de *Lewenrothe*, qui et ipse eodem tem-

 pore,

pore, pro beate virginis honore et anime sue remedio, *aduocatie* in bonis *Lethre*, compromittentibus omnibus heredibus suis, penitus renunciauit. Vnde ne factum meum cuiquam possit venire in dubium, presentem paginam conscribi feci, in qua profiteor, nichil me penitus iuris in aduocatia predicte ecclesie habere, nec aliquem successorum meorum aliquod ius in eadem sibi posse vindicare. Acta sunt autem hec anno Dominice incarnationis M.CC.XXIII. in mea, et fratris mei, et nostrorum heredum presentia; aduocatis ad hoc factum testibus, quorum hec sunt nomina: *Tidericus*, Prepositus eiusdem ecclesie, qui eandem aduocatiam nomine ecclesie sue conquisiuit. Bernardus Comes de Spegelberge, Renoldus de Endelingeborstel, Arnoldus de Ripen, Robode de Sleidinge, Tidericus de Herberge, Robertus Valkenere, Volkoldus de Lankredere, Tidericus de Endelingeborstele, Henricus de Genosen, Lambertus de Emplede, Gocewinus de Linde, Hardwigus Calf, Bertramus de Chersene, Lenfridus, sacerdos de Wegerde, Gerardus sacerdos eiusdem ecclesie professus. Asbode.

XI.

XI.

Henricus de Hodenhagen oppignorat Buccensi Capitulo pro XI. marcis Aduocatiam Curie Meringe. a. 1265.

Vniuersis hanc litteram visuris vel audituris HEINRICVS *nobilis vir de Hodenhagen, Aduocatus ecclesie Bukcensis*, omne bonum cum affectu. Presentibus protestamur, quod nos Decano et Capitulo Bukcensis ecclesie *Aduocaciam Curie Meringe et villici habitantis in ipsa et successoris sui* obligauimus siue impignorauimus pro XI. marcis bremensis argenti, vt dicti decanus et Capitulum hanc *Aduocaciam Curie et villici* ad vsus suos cum omni iure, quod nobis competebat in ipsa, vsque ad solucionem pecunie supradicte recipiant. In huius rei memoriam presentem litteram sigillo nostro sigillauimus. Acta sunt hec anno domini M. CC. LXV. Testes sunt tales: Engelbertus miles de Wege, Thidericus Clenkoc, Arnoldus Gorlehake, Willelmus de Aldenbuken, et alii quam plures.

XII.

Capitulum *Grambzouienſe* * aduocatiam eccleſiae transfert in Iohannem et Ottonem Marchiones poſterosque eorum. a. 1245.

In nomine ſancte et indiuidue Trinitatis. IOHANNES dei gratia Prepoſitus totumque *Grambzouienſis* ecclefie *Capitulum* omnibus in perpetuum. Cum corruptionis cauſſa proprie tempus exſiſtat, et ex tempore etiam cuncta ſeneſcant, ſeneſusque obliuionem inducat; humana prouidentia, quod humanis vocibus ab vno eodemque propter ſui corruptionem poſteris inſinuari non potuit, inſinuandum literarum teſtimoniis reliquit. Hinc eſt, quod notum eſſe cupimus vniuerſis, tam preſentibus quam futuris, quod monaſterium noſtrum *Grambzowe*, in honorem beate Virginis ſanctique Iohannis

* *Coenobii Gramzouienſis* origines deſcribit IO. BVGENHAGEN in *Pomerania* lib. 2. c. 5. p. 124. vbi de *Bogislao I.* Principe Pomeranorum haec refert ad a. 1179. *Hic Deo deuotiſſimus princeps ſcribitur eccleſiam Hauelbergenſem plurimis adornaſſe donis, et in Pomerania fundaſſe monaſteria, quae extant adhuc in* GRAMBZOV, *praemonſtratenſis Ordinis, in Hilda, ſiue Heldena et in Colbatz, Ciſtercienſis Ordinis et alia, quorum quaedam tamen a filiis et ſucceſſoribus aliis ſunt fundata.*

nis Euangeliste maxima sollicitudine quondam erectum; maximis nihilominus miseriis atque laboribus ab antecessoribus nostris ad incrementum salutis deductum, nostris temporibus ab impiis et inuasoribus, non tantum domum ipsam sed et totam prouinciam per rapinas, predas et indebitas exactiones diripientibus, cum non esset his temporibus, qui se murum pro domo domini exponeret confidenter, constabat tam in temporalibus quam in spiritualibus sine spe reformationis penitus fuisse collapsum. Quapropter animo consternati, ad auxilium vndique respicientes, cum non inueniretur alius, qui voluntatem cum possibilitate haberet nostrum defensare monasterium de incursionibus seu direptionibus malignantium, quorum quidam ex amicis eidem facti fuerant inimici; vsi consilio saniori, prouidaque habita deliberatione, *defensionis* ac *protectionis gratia* Illustres principes dominos IOHANNEM et OTTONEM *Marchiones* de *Brandenburg*, viros Christianissimos, ac iusticie Zelatores, *Aduocatos* nostre *Ecclesie* duximus de communi consensu nostri capituli eligendos, Aduocatiam *super omnibus bonis nostris* habitis quidem et habendis in ipsos ac suos successores iure perpetuo transferentes: quam *aduocatiam* dicti principes ad instantiam nostrarum precum tandem pietate moti pro se suisque successoribus suscipientes, *defensionem* ac *tutelam* nobis

et nostris hominibus contra importunitates malignantium per scripta propria promiserunt. Vt autem hec *aduocatie* facta *translatio* seu *donatio* etiam futuris temporibus dignoscatur, eam Sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari, adhibitis testibus idoneis, quorum nomina sunt hec: Dominus Rudgerus Brandenburgensis Episcopus, Otto Prepositus de Leuenwald, Simon Prepositus de Berlin, Theodoricus Stendaliensis Ecclesie Scholasticus, Iohannes Brand, Notarius. *Laici* vero: Petrus Aduocatus de Brandenburg, H. Aduocatus de Köpenick, H. Aduocatus de Oderberg, Albertinus, Brandenburgensis curie Marscalkus et alii quam plures. Acta sunt hec *Liuenwald* Anno ab Incarnatione Domini 1245. 5to Idus Ianuarii.

XIII.

Otto, Verdensis Decanus, a Bernhardo Comite de Welpia dimissam esse declarat Aduocatiam Nendorpiensis monasterii. a. 1221.

OTTO dei gracia Verdensis Decanus. Omnibus, ad quos presentes litere peruenerint, salutem in domino. Vniuersitati fidelium Christi notum esse volumus, nos, vna cum fratre nostro

nostro Friderico, clawa et Gerhardo de Gropelingen, duobus fratribus Reinoldo et Hermanno, atque aliis quam pluribus clericis et laicis, vice quadam, rogatu Prepositi Werneri de Nenthorpe ad Comitem *Bernhardum* de *Wilipa* in ciuitate nostra accessisse, ipsumque, ne sibi *Aduocaciam* iam dicti Cenobii indebite vsurparet, commonuisse. Qui tandem, post multa inter nos habita colloquia, viua voce protestatus est, se non esse *Aduocatum in Nenthorpe*, et super eo memorato Preposito Wernero tales literas dedit:

Bernhardus dei gracia Comes de Wilipa Omnibus, huius pagine scriptum intuentibus, salutem in vero salutari. Notum sit tam presentibus, quam futurorum vniuersitati, quod ego *Bernhardus* de *Wilipa* dictus, nulla iuris proprietate *Auocaciam ecclesie dei* in Nenthorpe mihi assigno, quam *nec hereditario iure* possidendam a progenitoribus accepi, nec *precio* comparatam mihi ademi, sed bone memorie *Simon* Prepositus, *qui primus illius ecclesie fundator extitit*, pro eo, quod violentas tirannorum sibi imminere metuebat potestates, *non me Aduocatum*, sed *protectorem* et *defensorem* illius ecclesie fidelem elegit, taliter videlicet, vt, quamdiu sibi et successoribus suis Prelatis placitum esset, sub *mee defensionis tutela* consisterent. At ego, eterne retribucionis intuitu, iam sepe dicti cenobii

non me iudicem, ſed pium defenſorem intromiſi, et quidquid eis in circumquaque adiacente mee regionis termino ex incultis agris nouellare poſſent, iure perpetuo contradidi. Acta ſunt hec anno dominice incarnacionis milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo. Datum in Verden. Huius rei teſtes ſumus.

XIV.

Ludolfus Comes de Daſſelle aduocatiam duorum manſorum in feudum concedit. A. 1262.

Vniuerſis Chriſti fidelibus ad quos preſens ſcriptum peruenerit, Ludolfus dei gracia Comes de *Daſſele*, Reigeneithis vxor ſua, Bertholdus natus ſuus cupimus non latere, quod nos *aduocatiam de duobus manſis*, ſitis in Nehen, conuentui Hildewordeshuſen pertinentibus, quos dictus conuentus nomine Allodii poſſidet ab Eccleſia Paderbornenſi, ſi quid iuris habebamus in dicta aduocatia, contulimus *in Pheodum* Iohanni dicto Stolten, Yde vxori ſue, et ceteris heredibus ſuis, perpetuo poſſidendam. Proteſtamur etiam, quod dictus Iohannes et heredes ſui memoratam *aduocatiam* a nobis et heredibus noſtris in perpetuum tenentur habere *iure pheodali*. Et vt hec rata maneant et inconuulſa, pre-

presentem cedulam contulimus eidem, sigilli nostri munimine roboratam. Testes huius rei sunt: Gerhardus de Brochosen, Thidericus Stuwe, Conradus de Graen, Hermannus de Nedere, Bernardus Camerarius de Herisia, Sigehardus de Marpe, Reinardus Ottersteke Dapifer, Iohannes de Calden et Henricus Valke frater suus et alii quamplures. Datum anno Domini M. CC. sexagesimo secundo Dominica in Octauis Pentecostes.

XV.

Eandem sibi vindicat Antonius Prepositus. a. 1262.

Vniuersis presencia visuris Antonius dei gracia Prepositus in Hildewordesen R. Priorissa totusque eiusdem loci Conuentus cupimus non latere, quod nos, de communi consensu Conuentus nostri, vtilitatem Ecclesie nostre attendentes, duos mansos desolatos, sitos in Nehen, in quos vir nobilis L. de Dassele contra meram iusticiam sibi *aduocaciam* vsurpabat, Iohanni dicto Stolten, Yde vxori sue, et ceteris heredibus suis, pro quatuor marchis, cum quibus comparauimus tres mansos a Domino Conrado de Beurungen, inter bona nostra Holthusen sitos, contulimus, cum omnibus suis appendiciis per-

petuo possidendos, tali conditione interposita, quod idem Iohannes et heredes sui nostre Ecclesie de dictis bonis quatuor moltra segetis, scilicet duo siliginis, et duo auene, in perpetuum teneantur ad mensuram Wartbergensem et ibidem singulis annis in festo beati Martini persoluere: protestamus eciam, quod nos, nec aliquis successorum nostrorum, ipsum vel heredes suos pro *capite meliori*, vel vestimento, impetere debeat, vel ab eis extorquere. Et vt hec rata permaneant et inconuulsa, presentem paginam dedimus eidem sigillis nostris communitam. Testes huius rei sunt: Conradus miles de Beuerungen, Helmwicus Lupus, et Iohannes Sacerdos. Gerhardus monetarius de Munden, Henricus Luscus, Georius Rikardus de Wartberg et Bertoldus longus, et alii quam plures. Datum et Actum in Hildewordeshusen Anno Domini M.CC.LX. secundo feria quarta infra Octauas Pentecostes.

XVI.

Litera Friderici II. Imp. ad ecclesiam Hildesemensem super aduocaciis exstinguendis.

FRIDERICVS Dei gracia Romanorum Imperator et semper Augustus dilectis fidelibus suis

suis Geruico decano, totique conuentui Hildensemensis ecclesie graciam suam et omne bonum. Veniens ad curiam nostram fidelis noster, *Erpo*, confrater vester, ex parte vestra et ecclesie vestre nobis insinuauit, quod *aduocati* magnam in bonis vestris exercent violenciam, et frequentibus rapinis ecclesiam vestram affligere non cessant. Verum quia saluti vestre de iure consulere tenemur, autoritate dei et nostra vobis indulgemus, vt, *si quo modo per pecuniam vestram aduocatos ab aduocaciis remouere poteritis*, et bona vestra ab eorum exaccionibus iniustis liberare, liberam vobis inde potestatem concedimus et donamus, et hoc ratum et firmum habentes, inuiolabiliter vobis et ecclesie Hildensemensi semper curabimus obseruare. Datum Herbipoli in solempni curia XV. Kal. Februarii. Anno Domini M. CC. XXXVI.

XVII.

Wernerus, Archiepiscopus Moguntinus, decimas et aduocacias redimendas concedit. a. 1281.

WERNERVS dei gracia sancte Maguntine sedis Archiepiscopus, sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, dilectis in Christo . . Pre-

Prepofito et Conuentui de Hildewardeshufen, Maguntinenfis diocefis, falutem in Domino. Cum a nobis petitur, quod pietati conuenit, et ab equitatis tramite non recedit; id eo clementius nos decet admittere, quo poftulantibus efficacius creditur expedire. Quocirca deuotis veftris fupplicationbus fauorabiliter inclinati, Vt monafterium veftrum quoquo modo congruo et honefto fuos valeat releuare defectus, vobis et per vos monafterio veftro, vt *quascunque aduocatias* et decimas, ab ipfo monafterio defcendentes, poffitis libere *titulo pignoris* recipere et habere, dummodo *vafallos ad feruicia, vobis ratione huiusmodi feodorum debita, interim non cogatis*, auctoritate litterarum prefencium indulgemus, et ne fuper bonis talibus, ex noftra fpeciali permiffione fufceptis, dictum monafterium cuiusquam temeritate turbetur, per cenfuram ecclefiafticam prefumptionem huiusmodi, duximus amouendam. Vt autem indulgentie hujus tenor in profectum Monafterii conualefcat, et fperato robore non priuetur; prefentem paginam confcribi fecimus, et figilli noftri munimine roborari. Datum Maguntie Anno Domini M. CC. LXXXI, II. Kalendis Iunii.

XVIII.

XVIII.

Otto IV. Imp. Brunſuicenſibus dat ius patronatus eccleſiae S. Martini. A. 1204.

In nomine ſancte et indiuidue Trinitatis. OTTO diuina fauente clemencia Romanorum Rex et ſemper Auguſtus. Iuſtum eſt et pium, et regalem decet benignitatem, vt non ſolum fidelibus noſtris, verum eciam omnibus iuſte et racionabiliter petentibus aſſenſum facilem prebeamus, et eis deſiderata concedamus. Vnde ſcire volumus tam preſentes quam futuros Chriſti fideles, quod dilecti ciues noſtri de ciuitate noſtra Brunſwik ſepius a nobis petebant, vt daremus eis in eccleſia noſtra ſcilicet ſancti Martini, que *forenſis* dicitur, *ius inſtituendi ſacerdotem.* Quia vero hoc *ſine grauamine* fratrum ſancti Iohannis Baptiſte et ſancti Blaſii facere non potuimus, quia ipſi fratres dicebant illam ad decaniam eorum pertinere; nos pro bono pacis et concordie capellam ſancti Georgii, que noſtra eſt, cum omnibus ad eam pertinentibus *in reſtauro* eccleſie ſancti Martini iam dictis fratribus conceſſimus. Ita quod decanus loci illius omnia attinencia capelle cum omnibus, bonis nunc conqueſitis et in futurum conquirendis, cum vtriusque ſexus mancipiis, areis, edificiis, agris, cultis et incultis, paſcuis, campis, aquarum

aquarum decurſibus, piſcacionibus ſeu cum omni vtilitate, que inde prouenire poteſt, percipiat, et in ea diuina celebret, et omnia, que in ea ſunt facienda, diligenter prouideat. Sancimus ad hec edicto regali, vt nullus aduocatus de bonis predicte capelle ſe intromittat, et ſi predictus decanus aliquas iniurias, quod deus auertat, in eisdem bonis ſibi ſenſerit inferri, ad nos vel ad principem, qui nobis in predicta ciuitate ſucceſſerit, confugiat, et ibi cauſas ſuas determinet. Similiter dilectis ciuibus noſtris de Brunſwik pro fideli et indefeſſo obſequio, patri noſtro pie recordacionis et nobis ſepius exhibito, eccleſiam ſancti Martini tradidimus, et *ius inſtituendi ſacerdotem* auctoritate regia liberaliter et libere donauimus. Vt igitur hec noſtra donacio tam ſepedictis fratribus, quam ciuibus rata ſtabilisque conſeruetur, et ne per nos aut ſucceſſores noſtros infringatur, preſentis ſcripti firmamento et inpreſſione noſtri ſigilli fecimus communiri, omnem malignandi aditum precludentes. Teſtes: Herwicus Decanus, Iohannes Cuſtos, Ludolfus de Volcmeroth et Anno frater eius, Fredericus de Veltem, Iohannes Anno de Vrethe, Iohannes de Bruneſwiht, Gherardus de Derſem, Tidericus Rubbo. *Laici* quoque: Nobiles: Bernardus Comes de Wilpe, Adolfus Comes de Daſle, Bernardus de Horſtmaria, Tidericus de Heſſenem, Haoldus

de

de Bywende, Bernardus de Dorstat. *Ministeriales:* Egbertus de Wulfesbutle et frater suus Guntzelinus Dapifer, Baldewinus de Elbeke, Baldewinus Aduocatus, Bertrammus de Veltem, et Ludolfus frater suus, Ludolfus de Bortfelde. *Ciues in Brunswik:* Eyemarus, Fredericus, Hinricus de Domo, Windelmarus et frater suus, Ludolfus, Daniel, Conradus filius domine Odhe, Conradus Holnickere, Hinricus Hissele filius, Wernerus et Hildebrandus, Siffridus et Hinricus Monetarii, Conradus de Bokenum, Rodulfus Nyger, Luderus Vinitor er Ludigerus Nepos eius, Gherwicus, Luderus, Hemezo, Alradus Ludigerus Tymmo, et alii quam plures. Actum Dominice incarnacionis M. CC. quarto. Indictione septima. Anno regni nostri septimo XI. Kal. Nouembris. Datum per manum notarii nostri, Stephani, maioris Ecclesie Mindensis Canonici et in insula beati Swyberti etc.

XIX.

Nobiles de Schonenberg ius patronatus cum aduocatia ecclesiae in Wende, antea in feudum datum, monasterio dimittunt. A. 1260.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Amen. Omnibus tam futuris quam presentibus Conradus

radus et Bertoldus, fratres, nobiles de *Sconenbereg*, salutem in omnium salutari. Quoniam rerum gestarum series cum generatione preterit, et in obliuionem vergit; opere precium est, vt acta nostri temporis, que posteris nostris similiter constare debent, proborum virorum ac litterarum testimonio perhennentur. Hinc est, quod presencium tenore recognoscimus, ac publice protestamur, quod *patronatum* parochialis ecclesie in *Winendhen*, cum *aduocatia* eiusdem, nec non omnibus suis pertinentiis, ad nos *iure proprietatis* pertinentem, ad liberam ac deuotam resignationem Henrici, militis dicti *Hirci*, cui *in pheodo porrexeramus* eundem, *cum ipsa aduocacia*, ac omnium iurium integritate, iure proprietario, sicut ad nos spectabat, Conuentui sanctimonialium, ibidem in Winendhem deseruiencium, simpliciter et absolute, sine diminutione qualibet, contulimus eisdem, pure, propter deum. Et ne huic facto seu per nos, seu per posteros nostros possit suboriri calumpnia; presens scriptum super ipso confectum sigilli nostri, nec non ciuitatis *Geismariensis* munime voluimus roborari. Acta sunt hec *Geismarie* Anno Domini Millesimo CC. sexagesimo. VIII. Ydus Nouembris. Presentibus hiis, quorum nomina infra notantur: Dominus Bertrammus, Plebanus sancti Iacobi in Gotinge, Thidericus, Plebanus sancti Petri in Geismaria,

Ber-

Bertoldus filius Domini Euerhardi, *Clerici:* Gerhardus dictus Hedeke, Stephanus maior et Stephanus minor de Halteſſem milites, Gerhardus de Etle, Iohannes de Halteſſem, Henricus de Scathem. *Conſules Geismarienſes:* Iohannes filius Fabri, Bertoldus de Korbeke Henricus de Hagen, Bertoldus dictus Holtcete, Hermannus filius Domini Willehelmi et quam plures alii.

XX.

Wernerus Archiepiſcopus Moguntinus confirmat ius patronatus parochialis eccleſiae in Wende. a. 1265.

WERNERVS dei gracia Maguntine ſedis Archiepiſcopus, ſacri Imperii per Germaniam Archicancellarius. Dilectis in Chriſto . . prepoſito . . Priorifſe et conuentui de *Weneden*, noſtre dioceſis, ſalutem in Domino. Cum nobiles viri, Bertoldus et Conradus, fratres, de *Schonenbereg*, *contulerint* vobis, intuitu pietatis et pro ſuorum remedio peccatorum, *ius patronatus* parrochialis *eccleſie* in *Weneden*, cum ſuis pertinenciis vniuerſis, prout ad eos iure proprietatis et ex *ſucceſſione hereditaria* pertinebat; Nos, veſtre deuocionis precibus inclinati, ſicut idem ius patronatus eccleſie cum ſuis pertinenciis

 tinenciis

tinenciis vniuerſis iuſte et pacifice poſſidetis, vobis et eccleſie veſtre per nos auctoritate preſencium confirmamus, et preſentis ſcripti patrocinio communimus. Et quia propter *malum ſtatum terre veſtre* laboratis non modica egeſtate, vt releuemus aliqualiter ſtatum veſtrum; concedimus vobis de gratia ſpeciali, vt habeatis ipſam eccleſiam pleno iure, prouiſo, quod efficietur per prepoſitos veſtros et ſuos ſocios, ſacerdotes, pro tempore ſucceſſuros, vt, quicquid vobis de eccleſia ipſa aut ſuis redditibus annuatim potuerit prouenire, ad vſus veſtros communes libere conuertatis; iure noſtro et Archidiaconi per omnia nobis ſaluo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmacionis et conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis dei et noſtram ſe nouerit incurſurum. Datum Maguncie Anno Domini M.CC.LXV. VI. Idus Maii.

XXI.

Clemens PP. IV. parochialem Wendenſem vnit cum Coenobio, cui antea ius patronatus competebat. a. 1267.

CLEMENS Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilectis in Chriſto filiabus . . Prioriſſe et Con-

Conuentui ecclesie de *Wineden* ordinis sancti Augustini Maguntinensis diocesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Religionis vestre dicitur promereri sinceritas, vt peticionibus vestris benignum accomodemus auditum, et eas ad gratiam exauditionis fauorabiliter admittamus. Vestris igitur deuotis postulacionibus grato concurrentes assensu, ecclesiam sancti *Petri* de *Wineden*, in qua ius habere noscimini *patronatus*, cum sepultura et aliis pertinenciis suis, in ecclesiam vestram, auctoritate apostolica, duximus transferendam, diocesano et archidiacono loci in omnibus iure saluo. Non obstantibus aliquibus litteris, in contrarium optentis vel obtinendis, que de presentibus plenam et expressam non fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Viterbii IIII. Idus Maii Pontificatus nostri anno Tertio.

XXII.

Mandatum ea de re ad decanum Hildensemensem. a. 1267.

Clemens Episcopus seruus seruorum dei dilecto filio . . Decano ecclesie Hildesemensis, salutem et Apostolicam benedictionem. Religionis dilectarum in Christo filiarum . . Priorisse et conuentus ecclesie de *Wineden*, ordinis sancti Augustini Maguntinensis diocesis, dicitur promereri sinceritas, vt peticionibus earum benignum accomodemus auditum, et eas ad exauditionis gratiam fauorabiliter admittamus. Nos igitur, earundem deuotis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam sancti Petri de Wineden, in qua *ius patronatus* habere dinoscuntur, cum sepultura et aliis pertinenciis suis, in ecclesiam ipsarum duximus transferendam, diocesano et Archidiacono loci in omnibus iure saluo. Quo circa discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatas Priorissam et conuentum non permittas super his, contra concessiones nostre tenorem, ab aliquibus indebite molestari: molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo. Datum Viterbii IIII. Idus Maii Pontificatus nostri anno Tertio.

XXIII.

XXIII.

De iure presentandi alternatiuo Capelle in Alesborch ad ecclesiam in Borchtorpe. a. 1314.

In dei nomine Amen. Nos HENRICVS dei gracia Hildesemensis ecclesie Episcopus, notum esse volumus vniuersis, ad quos presentes literc peruenerint, quod, cum Capella in *Alesborch*, per plura tempora pastore carens, debitis diuinorum careret officiis, ex eo, quod dilectus nobis *Otto* de *Woldenberge*, canonicus nostre Hildensemensis ecclesie, qui patronatum dicte capelle et Ecclesie in *Borchtorpe* a nobis tenet in beneficio, et capitulum ecclesie sancti Blasii in Brunswich, quod eciam habet et habuit ab antiquo *ius presentandi alterna vice* ad eandem ecclesiam in Borchtorpe, super presentacione seu prouisione dicte capelle faciliter non poterant concordare. Tandem post varios tractatus, idem Otto et Capitulum sancti Blasii, de consensu nostri Hildensemensis Capituli, nobis mediante et consenciente, ne dilacio augeret periculum, in hoc conuenerunt, quod prefatus Otto ad presens eidem Capelle in rectore prouideat, et post hec, cum eandem Capellam vacare contigerit, *presentacio* ad Capitulum sancti Blasii pertineat, ac deinde quociens prefatam

ſatam capellam vacare contigerit, *alterna preſentacio* ſeu prouiſio apud eundem Ottonem, ſeu illum, qui a nobis ſeu noſtris ſucceſſoribus idem tenet beneficium, et apud capitulum ſancti Blaſii in perpetuum permaneat. Ita quod ille, qui a nobis dictum tenet beneficium, vna vice eidem Capelle, et altera vice, ſicut eccleſie prędicte, prouideat Capitulum ſancti Blaſii memoratum. Et nos eandem ordinacionem gratam et ratam habentes, et eam approbantes, pro loci deuocione et reuerentia, ipſam autoritate ordinaria preſentibus confirmamus, et mandamus ſub interminacione anathematis perpetuis temporibus inuiolabiliter obſeruari. In quorum omnium felicem memoriam et perpetuam firmitatem preſentem literam ſigillis, noſtro ſcilicet et Capituli noſtri Hildeſemenſis ac Capituli ſancti Blaſii predicti, ſigillatam dedimus in perpetuum teſtimonium et cautelam. Teſtes eciam ſunt honorabiles viri: Conradus de Walkenſtene Prepoſitus noſtre Hildeſemenſis eccleſie, Hermannus de Werberghe Decanus, Otto de Valkenſtene Scholaſticus, Io. de Oberge Cantor, Fredericus de Adenoys, Guncelinus de Berwinkele, noſter Notarius, eiusdem eccleſie noſtre Canonici, Baldewinus Decanus eccleſie ſancti Blaſii in Bruneswig, Sigfridus de Alten, Engelbertus de Medinge, Borchardus de Cramme, Magiſter Bruno, Henricus de Luneborch, Ludolfus

dolfus de Honloge, eiusdem ecclesie canonici, et plures alii fide digni. Actum et datum Hildensem anno domini M. CCC. Quartodecimo, XVII. Kalendas Octobris.

XXIV.

Luderus de Bluchere Prior, Vicarium a se et fratre institutum praesentat Henrico, episcopo Raceburgensi. A. 1371.

Venerabili in Christo Patri ac Domino, Domino Hinrico, Episcopo ecclesie Razeborg. Luderus Prior eiusdem Ecclesie debitam reuerenciam seruicii promtitudinem cum oracionibus in Christo deuotis. Ad vicariam nouiter institutam in memoriam Domini Mathie de Bluchere pie memorie meique, nostrorum parentum, fratrum et sororum nostrarum, ac a vestra reuerenda paternitate primitus confirmatam et in ecclesia vestra predicta diuino officio exequendam discretum virum Dominum *Gherardum*, ostensorem presencium, *vobis presento*, humiliter supplicando et deuote, quatenus eidem Domino Gherardo *dictam Vicariam* cum accessu altaris conferatis, ac eundem in *corporalem possessionem eiusdem Vicarie induci* faciatis, et eciam sibi de vniuersis redditibus eiusdem faciatis integre responderi. Datum Razeborg.

 Anno

Anno Domini M. CCC. LXXVII. in die sanctorum Maurorum Martirum meo sub sigillo, presentibus honorabilibus et discretis viris Domino Gherardo Preposito antedicte ecclesie, Frederico Tutowen, Thiderico Smythuzen, Hinrico Boddyn, Canonicis sepedicte ecclesie testibus ad premissa vocatis et rogatis.

XXV.

Ericus III. ecclesie Raceburgensi in permutationem dat ius patronatus ecclesiae in Bredenfeld pro iure patronatus Ecclesiae Bergendorfensis et Capellae S. Crucis. A. 1376.

In nomine domini Amen! Ad perpetuam rei memoriam Nos ERICVS *Senior* dei gratia Dux Saxoniae, Angariae et Westphaliae, tenore praesentium recognoscimus lucidius et testamur. Quod, cum ductum inter quondam Reuerendos Patres Episcopos Razeburg. successiue ex vna parte, Et nostros progenitores seu parentes foelicis memoriae, Duces Saxoniae, de et super iure patronatus *Capellae sanctae Crucis*, prope oppidum nostrum *Bergerdorpe*, Ratzeburgensis diocoesis situata, et ipsius occasione ex eo lites diuersae et controuersiae ex altera parte

parte subortae et suscitatae fuerunt, quod dicti quondam Episcopi premissam *Capellam* ad Ecclesiam *parochialem* nostri oppidi *Bergerdorpe* predicti ex eo pertinere asserebant, quia eadem Capella infra Parochiam seu limites eiusdem Ecclesiae Parochialis, ad Episcopi Ratzeborgensis pro tempore collationem spectantis, erecta dinoscitur et aedificata; nostri vero progenitores et parentes *ius patronatus* eiusdem Capellae propterea ad se pertinere contendebant et dicebant, quia eadem Capella *in solo seu fundo sui quondam* et nunc nostri dominii Bergerdorpe *instaurata* extitit et *constructa*. Nos pro vitanda maiori discordia ac etiam periculis, quae tandem ex huiusmodi discordia possent in futuris fortasse quoque suboriri, prouidere cupientes, matura deliberatione habita cum nostris fidelibus et vasallis, de et cum ipsorum consilio huiusmodi materiam litium et controuersiarum cum Reuerendo in Christo Patre et domino, domino *Henrico* Episcopo Ratzeburgensi, sedare ac in perpetuam concordiam reformare deo propitio affectantes, *iura patronatus* Ecclesiae parochialis in *Bredenuelde*, et cuiusdam perpetuae vicariae, in Ecclesia parochiali in oppido Molne, in honorem sancti Egidii confessoris dicte Ratzeburgensis diocoesis instauratae; et quam Albertus Gnokel eiusdem vicarie perpetuus vicarius seu Rector nunc obtinet, cum omnibus et

singulis

ſingulis ipſarum pertinentiis pro iure patronatus Eccleſie parochialis in Bergerdorpe et Capellae ſanctae Crucis praedictarum et ipſarum pertinentiis, cum predicto domino Henrico Epiſcopo pure, ſimpliciter et absque pacto ac conditione qualibet *permutauimus*, et praeſentibus iure, modo et forma, quibus efficacius poſſumus, permutamus. Vt igitur omnia et ſingula praemiſſa perpetuis futuris temporibus a nobis et noſtris heredibus ſeu ſucceſſoribus inuiolabiliter obſeruentur, pro nobis et eisdem noſtris heredibus ſeu ſucceſſoribus renunciamus omni actioni, defenſioni, beneficio reſtitutionis in integrum, exceptioni doli mali, aliisque iuris et facti exceptionibus quibuscunque, nec non omni iuris beneficio, canonici et ciuilis, quibus nos ſeu ipſi noſtri heredes aut ſucceſſores poſſemus contra contractum huiusmodi permutationis praemiſſae in toto vel in parte in futurum venire vel quomodolibet nos iuuare. Et in ipſorum euidens teſtimonium praeſentes noſtras literas ex certa noſtra ſcientia conſcriptas noſtri authentici ſigilli munimine iuſſimus firmiter roborari. Datum Ratzeburg in aula Capituli Ratzeburgenſis *hyemali*, Anno domini Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, indictione quarta decima, menſe Ianuarii die viſecimo octauo, hora nona vel quaſi, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris

et

et domini nostri domini Gregorii diuina prouidentia Papae vndecimi anno sexto, presentibus venerabilibus et strenuis viris: Iohanne Pleschow, Thesaurario Ecclesiae Lubicensis, Ludolfo de Flandria, dictae Ecclesiae Lubicensis Canonico, Nicolao Decano Gustrowen, Hartwico Splyt, Scholastico Ecclesiae Hamburgensis, Detleue de Parckentyn, *milite*, Hartwico de Ritzerow, Bartoldo de Rizerow, Detleuo de Gronow, *armigeris* et *nostris vasallis*, Iacobo Pleschow, Hartwico Peperssaac proconsulibus ciuitatis Lubicensis et aliis quam plurimis fide dignis Clericis et Laicis Bremensis, Caminensis Ratzeburgensis et Lubicensis, diocoesium testibus ad praemissa. In cuius rei testimonium nostrum sigillum autenticum duximus presentibus appendendum.

XXVI.

Ericus III. ius patronatus ecclesiae et capellae in Bergerdorff transfert in Ecclesiam Raceburgensem de a. 1397.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Amen. Ad perpetuam rei memoriam nos ERICVS Senior, Dei gratia Saxoniae, Angariae et Westphaliae dux tenore praesentium recognoscimus et lucidius protestamur, quod nos, matura deliberatione ac tractatu diligenti fidelium

lium nostrorum consiliariorum praehabita, ea, qua decuit, solennitate, ob reuerentiam Dei et amorem beatissimae semper virginis Mariae genitricis eiusdem domini nostri, iusto donationis et translationis titulo, praeuio tamen et praehabito consensu venerabilis patris, domini Detleui Raceburgensis episcopi, pure et simpliciter donauimus, et dedimus, dimisimus et et resignauimus, donamus, damus, dimittimus et resignamus *ius Patronatus* siue *praesentandi* ecclesiae parochialis sancti Petri in nostro oppido *Bergerdorpe*, cum capella sanctae Crucis immediate prope dictum oppidum Bergerdorpe, praemissae Ecclesiae parochiali, adiacenti, Raceburgensis dioecesеos, *ipsi Aduocato* domini praepositi ecclesiae Raceburgensis, qui pro tempore fuerit, *praefatumque ius praesentandi*, vt praefatum et praenominatum aduocatum huiusmodi, qui pro tempore fuerit, meliori modo, via et forma, quibus potuimus, prout ad nos et nostros antecessores praedictae ecclesiae parochialis cum capella saepedicta hactenus liberius pertinere consueuit, *perpetuo transferimus* per praesentes, nobis ac etiam haeredibus nostris seu successoribus *in praedicto iure patronatus* nihil penitus reseruantes, sed ipsum penes eundem aduocatum, quicunque pro tempore existens, perpetuis futurum temporibus, vt praemittitur, volumus remanere, ita,

ita, vt quotiens perpetue de caetero dictam ecclesiam sancti Petri vacare contigerit, memoratus aduocatus, qui pro tempore exstiterit, *vnum canonicum* ecclesiae Raceburgensis *aptum et idoneum* ad ipsam parochialem ecclesiam sancti Petri, et Capellam sanctae Crucis extra oppidum sitam, instituendam, pro quo Canonico Praepositus pro tempore existens et capitulum preces suas ad ipsum Aduocatum debito in tempore direxerint, debeat praesentare. In quorum omnium testimonium et euidentiam pleniorem praesentes literas ex certa nostra scientia conscribi et nostri sigilli autentici munimine iussimus firmiter roborari. Datum et actum in castro nostro *Bergerdorpe* anno Domini millesimo tricentesimo nonagesimo septimo, sabbatho proximo post festum Lucae Euangelistae gloriosi. Praesentibus nostris fidelibus dilectis: Hermanno de Gandertzem rectore parochialis ecclesiae oppidi Molne, presbytero, Henningo de Phenige, Hinrico de Crumetzce et Ottone de Ritzerowe, armigeris, et quampluribus aliis fide dignis.

XVIII.

XXVII.

Ericus IV. in fundata noua vicaria ſibi reſeruat ius patronatus. a. 1380.

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam *Gherardus* dei et Apoſtolice ſedis gratia Epiſcopus *Razeburgenſis* vniuerſis Chriſti fidelibus, ad quorum notitiam preſentia peruenerit, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt et honeſtum, tam ordo rationis, quam vigor exigit equitatis, vt id fauoribus gratioſis perſequamur. Hinc eſt, quod preſentes noſſe volumus, et poſteros non latere, quod, cum dudum *felicis memorie* Illuſtris ERICVS Dux Saxonie, Angarie et Weſtphalie, de beneplacito et conſenſu eiusdem memorie noſtri predeceſſoris Epiſcopi Razeburgenſis, nec non Prepoſiti et Prioris, qui tunc fuerunt, ac Capituli Eccleſie noſtre Razeburgenſis, quandam *Capellam* verſus plagam auſtralem, eidem Eccleſie noſtre annectendo, pro quodam beneficio Eccleſiaſtico perpetuo, ſeu Vicaria perpetua inſtauranda, in honorem beate *Katharine* virginis et martiris, duxerat fabricandam. Idem tamen quondam *Ericus* Dux Illuſtris morte preuentus huiusmodi *beneficium Eccleſiaſticum* ſeu *Vicariam perpetuam* minime inſtaurauit. Propter quod Illuſtris Princeps

ceps Dominus ERICVS *Iunior* Dux Saxonie Angarie et Weſtphalie, eiusdem quondam *Erici* Ducis filius, heres et ſucceſſor legitimus, cupiens ſui quondam genitoris pium propoſitum, vt tenetur, laudabiliter adimplere, prehabita matura deliberatione ſuis cum fidelibus, et accedente pleno conſenſu Illuſtris Duciſſe Domine *Agnetis* ſue *genitricis*, et dicti quondam Erici ducis *conthoralis*, de redditibus annuis triginta marcarum denariorum Lubecenſium huiusmodi beneficium ſeu vicariam *dotando*, in praemiſſa Capella ſalubriter inſtaurauit, prout hec in et ex literis ſuis authenticis, de et ſuper premiſſis omnibus conſcriptis, plenius dinoſcuntur contineri, quarum tenor de verbo ad verbum fuit et eſt talis: In nomine ſancte et indiuidue Trinitatis Amen. Ad perpetuam rei memoriam, ERICVS Dei gratia dux Saxonie, Angariae et Weſtphalie, omnibus, ad quos in perpetuum preſentes litere peruenìunt, ſalutem in domino et preſentibus fidem indubiam adhibere, quoniam que geruntur ſub tempore, ne ſimul labantur cum tempore, neceſſe eſt ea ſcripture teſtimonio perhennare. Dudum ſiquidem recolende memorie ERICVS Dux Saxonie, *pater noſter*, felici motus affectu, quandam Capellam ad auſtralem plagam Eccleſie Razeburgenſis de conſenſu Reuerendi in Chriſto Patris Domini Hinrici Epiſcopi Razeburgenſis

erexit, et edificari fecit, et in eadem Capella *perpetuum beneficium ecclesiasticum* votiue *fundare, instaurare et dotare* disposuit, et vtique voto satisfecisset, nisi insperate mortis dies eius pium desiderium preuenisset. Nos autem, qui eidem *patri nostro* in dignitate, Principatu et honore succedimus, dignum arbitramur et rationi consonum, vt tam pia desideria eius effectui debito salubriter mancipemus. Diligenti igitur cum fidelibus nostris deliberatione prehabita, ac pleno et expresso consensu *genitricis nostre* karissime, domine AGNETIS ducisse Saxonie accedente, ad honorem omnipotentis dei eiusque intemerate genitricis semperque virginis Marie, ac beate Katherine martiris, ad diuini cultus ampliationem, Vicariam vnam perpetuam et beneficium ecclesiasticum de nouo creamus et instauramus in Capella supradicta, ac ipsam vicariam cum redditibus Triginta marcar. denar. Lubicens. dotamus, quas vicarius, qui pro tempore prefuerit, in quolibet anno de salis theolonio nostro in Louenborch, postquam sexcente marce ad nostrorum vsum castrensium extorte fuerint, libere et integraliter subleuet atque tollet. Si autem nos aut successores nostri a solutione reddituum predictorum vellemus aliquando releuari, Nos, postquam trecentas marcas denar. Lubicens. realiter solueremus, aut successores nostri realiter soluerent,

soluerent, nollemus ex tunc ad solutionem eorundem reddituum amplius obligari, et predictarum pecuniarum summa in certos et fixos redditus per vicarium eiusdem vicarie, de consensu Episcopi Razeburgensis, qui foret pro tempore, conuerti deberet, consilio nostro et successorum nostrorum mediante. *Ius quoque presentandi ad predictam vicariam* nobis et heredibus ac successoribus nostris perpetuo reseruamus, hoc saluo, quod Domina AGNES, *mater nostra* karissima, singulis vacationum temporibus, quibus vixerit, ad eandem vicariam clericum ydoneum presentabit. Vicarius etiam eiusdem vicarie diuinis officiis, more aliorum vicariorum, in Ecclesia Raceburgensi interesse debebit. Diebus insuper vacantibus has missas per vicarium ipsum cupimus celebrari. Die dominica de Trinitate, feriis secunda pro defunctis, tertia de sancto Answero, quarta de sancta Katharina, quinta de corpore Christi, sexta de sancta Cruce, Sabbato de perpetua virgine Maria, nisi aliquo dierum predictorum legitime fuerit impeditus. Vt autem premissa omnia et singula perpetuam obtineant firmitatem, nos ERICVS et AGNES predicti presentes literas sigillis nostris ex certa scientia iussimus communiri. Datum *Louenborgh* presentibus viris fidelibus, Wasmodo Scacken milite, Dethemanno Tzabel et Bossone de Ghartow fa-

mulis et aliis pluribus fide dignis. Anno Domini Millesimo CCC. LXXX. ipso die Ghertrudis virginis perbeate. Verum quia nomine Domini ERICI Ducis et Domine AGNETIS Ducisse, sue *genitricis* predictorum, pro approbatione et confirmatione huiusmodi beneficii seu Vicarie nobis extitit humiliter supplicatum, nosque, attendentes supplicationem ipsam fuisse et esse iustam ac consonam rationi, diuinumque cultum nostris temporibus adaugeri cupientes, huiusmodi beneficium ecclesiasticum seu Vicariam ipsam perpetuam quoad omnes et singulos articulos premissarum litterarum gratam et ratam habentes, ipsum seu ipsam nostra authoritate ordinatam approbauimus et confirmauimus, et nihilominus presentium nostrarum patrocinio literarum approbantes, in nomine Domini firmiter confirmamus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum in Capella Curie nostre *Schonenbergbe*, Anno Domini Millesimo CCC. LXXXVII. sequenti die post festum Inuentionis sancte Crucis, presentibus dilectis nobis Nicolao Decano Ecclesie Guzstrowensis, Thiderico Schiltsten, Iohanne Hoppener et Alberto de Peen, Clericis nostris, testibus ad premissa.

XXVIII.

XXVIII.

Agnetis praeſentatio ad id beneficium, et petitio, vt Epiſcopus inueſtiat Clericum annulo, a. 1380.

Venerabili in Chriſto Patri ac Domino, Domino Hinrico Razeburgenſis Eccleſie Epiſcopo, AGNES, Dei gratia *Duciſſa* Saxonie, Angarie et Weſtfalie, et Nos ERICVS eadem gratia *noſtre matris gaudens titulo*, cum debita in domino reuerentie karitate. Veſtre Paternitati, de qua plene confidimus, innoteſcimus per preſentes, quod, ob remedium animarum noſtrarum, etiam noſtrorum et progenitorum triginta marcarum reddituum, de noſtro theolonio ſalis, poſtquam noſtri Caſtrenſes in Louenborch ſuos redditus ſuſtulerint, ad vicariam altaris beate Katharine virginis in Capella Eccleſie Raczeborch, per *patrem* noſt rum ERICVM felicis memorie fundata, libere et perpetue recipiendos annuatim voluntarie aſſignamus. Ad quam Vicariam nos AGNES, cui *ius patronatus* cedere debebit, ſuo tempore diſcretum virum, Hermannum de *Odeslo*, *Capellanum noſtrum*, pure propter deum duximus preſentandum, quam intime ſupplicantes, quatenus eundem Hermannum cum *inueſtitura veſtri annuli inueſtire* dignemini, de eadem facien-

tes sibi in premissis, que Paternitati vestre fuerint oportuna. In cuius rei euidens testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum et actum Louenborch Anno Domini M. CCC. LXXX. ipso die Ghertrudis virginis perbeate.

XXIX.

Borchardus Comes de Welpa, Patronus ecclesie in Videssen subscribit alienationi vnius mansi eiusdem. a. 1276.

Ego Hermannus Plebanus Ecclesie in *Videssen.* Omnibus presens scriptum visuris notum esse cupio, quod ego vnum mansum, situm in *Dotelinge*, quem nomine ecclesie mee hactenus tenueram, assignaui in proprium cenobio sancte Marie, quod Hilegeroth vulgariter appellatur, ordinis beati Benedicti, Bremensis dyocesis, titulo vendicionis: BORCHARDI *nobilis viri Comitis Welpe, patroni dicte ecclesie mee*, et omnium, quorum intererat, beneplacito accedente liberaliter ac consensu. Cui vendicioni presentes aderant: Honorabilis Vir: Dominus Meynerus, cellerarius ecclesie Buccensis, Alexander dictus de Stadis, Albro et Hynricus, fratres, dicti Doneldey, Volquinus, filius domini Ottonis, Hinricus dictus Wulf, Bruningus,

ningus, burgenses Bremenses, Bruningus et Hermannus, dicti de Mercele, et alii quam plures. Et in testimonium prescripte vendicionis et perpetuam ipsius stabilitatem sigillum B. *Comitis*, patroni prenotati, presenti scripto est appensum. Datum et actum Breme, in die beati Bartolomei apostoli. Anno Domini M.CC. septuagesimo sexto.

XXX.

Innocentius II. interdicit aduocatis ius occupandi bona decedentium Canonicorum. a. 1139.

Innocencius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis, clericis et laicis per Hildensemensem diocesin constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Apostolo attestante didicimus: vbi est spiritus domini, ibi libertas. Seruire namque deo, regnare est. Equum est igitur et racionabile, vt tam ecclesie, quam ecclesiastice persone sub iugo dei grata tranquillitate congaudeant, et nullis angariis nullisque exactionibus deo dicati viri, videlicet Clerici, in sortem domini euocati, subiaceant, neque bona eorum in vita vel in morte contra instituta ecclesiastica peruadantur. Decernimus igitur et ex parte dei et beatorum Apostolorum

Petri et Pauli penitus interdicimus, vt nullus laicorum bona fratrum clauſtralium vel aliorum Clericorum, mobilia vel immobilia vel *ſe mouencia* in vita ſeu in morte vſurpare preſumat. Si qua vero de *paterna* vel *materna* ſucceſione ad eosdem clericos peruenerunt, que Laici dicant ſibi debere contingere; non violenter, non vſurpatiue hec ipſa inuadant, ſed ius ſuum a prepoſito Epiſcopo humiliter poſtulanter accipiant. Quodſi quis Comes vel *Aduocatus* bona clauſtralium vel aliorum clericorum inuaſerit, ſententia anathematis feriatur. Datum Laterani per manum Almerici ſancte Romane eccleſie Dyaconi Cardinalis Cancellarii V. Kl. Decembr. Indictione III. Incarnacionis Dominice M. C. XXXIX. Pontificatus vero Domni Innocencii II. Pape Anno decimo.



OBSER-

OBSERVATIO VII
DE
TEMPORE STVDIORVM LEGITIMO A CANONICIS OBSERVANDO.

ARGVMENTVM

§. I. *Iura propria capitulorum statutis et obseruantia definita.*
II. *Domicellorum ratio.*
III. *Praeparati olim ad instituta Canonica in scholis Canon.*
IV. *Erectis Academiis, inualuit mos illas eo nomine frequentandi.*
§. V. *Tempus varium studiis Academicis Canonicorum praescriptum.*
VI. *Ratio huius instituti, et quomodo hoc ab ea deflectere coeperit.*
VII. *Modus computandi tempus Academicum.*
VIII. *Commoda studiorum gratia absentibus debita.*

§. I.

Ecclesiarum cathedralium et collegiatarum capitula cum iuribus fruuntur *uniuersitatum ecclesiasticarum*, tum iure pollent collegiali *statuendi* de eis, quae ad res capituli pertinent, dummodo statuta, si *iuri ecclesiastico communi*

 aduer-

aduerſantur, a ſuperiori ſint confirmata (*a*). Quae vel eorundem *ſtatutis* vel *obſeruantia*, quae parem cum illis vim habet, definiuntur, ad *iura* cuiuslibet Capituli *propria* pertinent: conſpirantia quidem in multis, ſed et in aliis non minus multum diuerſa. Quae in his de vita, moribus, inſtitutis, rebus et bonis canonicorum praecipiuntur, eorum non infimam partem faciunt ea, quae *qualitates* reſpiciunt in conſortium eorum recipiendorum, aetatem, ſtudia, natales, nobilitatem, et id genus alia. Statuta et in his ſunt tempora *ſtudiis* in Academia tractandis: quibus ſtricte transactis, nihil Canonico ſcholari deeſſe praeſumeretur ad bene et canonice uiuendum; de quibus nonnulla dicere commodum videtur.

§. II.

Antiqua eſt capitulorum obſeruantia, vt praeter eos, qui *ius capituli* habent et

(*a*) *c. 8. 9. X. de Conſtitutionib. c. 9. X. de Conſuetud.*

et intra numerum sunt lege fundationis vel statuto definitum, reciperentur plures, *praeparandi* ad vitam et canonicorum instituta, spe macti ad ius capituli adspirandi, vbi locus vacaret. Hi *iuniores* Canonici et *domicelli* dicti sunt, (*b*) velut minores Domini, cum honorifica *Dominorum* appellatio tribueretur canonicis maioribus, (*c*) qui ad ius ca-

(*b*) Ita vocantur in charta *Adolphi* Archiepiscopi Moguntini a. 1381. *in vol. II. rerum Moguntiacarum* GE. CHRIST. IOANNIS p. 679. ibi: *effectum statutorum -- contra Scholasticos ecclesiarum nostrarum ciuitatis et dioecesis Moguntinae pro iuuenibus, qui communiter Domicelli nuncupantur factorum - - circa tuam personam tollimus.* In Statutis Synodalibus Moguntinis de a. 1549. art. 86. in LVNIGII spicileg. *eccl. tom. XVI. p. 126.* refertur: *Hactenus in ecclesiis Cathedralibus et collegiatis saltem ex ea parte, qua maiores nostri non sine magna ratione iuniores Canonicos, quos domicellares vocant, non statim, vt beneficia acceperint, ad Capitula admitti, sed ad tempus sub iugo praelatorum detineri voluerunt, satis negligenter aduigilatum esse, non sine ecclesiarum pernicie sentimus.*

(*c*) In Statutis Capituli *ecclesiae Halberstadiensis* de a. 1410. apud LVNIGIVM l. c. *tom. XVII. in app.* p. 77. vocantur *domini de capitulo*, iisque opponuntur *domicelli*.

capituli prouecti *capitulares* vocantur. *Domicellum* prius esse oportebat, quam ad honorem *Domini* et ad *ius capituli* ascenderet.

§. III.

Florebant in plerisque capitulis *scholae*, pro instruendis iunioribus canonicis iisque ad functiones ecclesiasticas praeparandis inprimis institutae (*d*). Iisdem

(*d*) Vid. IO. LAVNOIVS de *scholis celebribus a Carolo M. et post Carolum M. in Occidente instauratis cap. IX. p.* 45. et IO. ERNEST. FLOERCKE *de Canonico Scholastico* §. 2. Officium *Scholastici* exponitur in constitutione *Gerhardi*, Archiepiscopi Bremensis de a. 1244. huius tenoris:

„GERARDVS Dei gratia s. *Bremensis ecclesiae* „*Archiepiscopus* omnibus hoc scriptum audituris in perpetuum. Nouerint Vniuersi ac singuli, quod, cum inter Magistrum *Wilbrandum Scholasticum* et *Ottonem Cantorem* „*Bremensem* quaestio seu dubitatio esset suborta, quid ad *vtriusque* in *ecclesia Bremensi* „spectaret *officium*, nec id a Decano et Capitulo videretur de facili decidendum, Decanus „et Capitulum de assensu praedictorum Scholastici et Cantoris nobis diffiniendum totaliter „reliquerunt. Igitur ne huiusmodi occasione „dubitationis debita disciplinatio aut compe„tens

dem regendis praeerat *Scholasticus*, inter primos Canonicos relatus, vicarium habens *scholae rectorem* vel *magistrum*, qui et *Scolemester* dictus. (*e*) Intra has

„tens correctio, tam in choro, quam in scho„lis et alias in locis congruis in iacturam ho„noris ecclesiae Bremensis contingat vlterius „vacillare; rerum circumstantiis et praesertim „consuetudinibus antiquis ecclesiae diligentius „inspectis, dictam quaestionem taliter diffini„mus. *Scholasticus* Bremensis tam *in choro* „quam *in scholis* et alias, *scholares corrigendi*, „*iudicandi*, *Canonicis emancipandis licentiam* „*dandi* habebit sine contradictione qualibet po„testatem, cum aliis, quae ante *institutionem* „*cantoriae* in ecclesia Bremensi Scholasticus „dinoscitur habuisse. *Cantor* vero in illis so„lempnitatibus, in quibus tenetur incedere ba„culatus medius inter alios duos cantores, re„gimen habebit, in cantando, psallendo et „processionaliter incedendo; Item ad Canto„rem pertinet regnum et prouisio organorum; „Insuper de Cantoris officio erit, in generali „Capitulo Bremensi publice pronunciare per se „vel per alium, de impositionibus librorum, „ad matutinas legendorum, de historiis can„tandis et de quatuor temporibus indicandis; „Scholasticus vero cartam ad cereum pascha„lem pertinentem singulis annis prouidebit. „Datum Anno Domini M. CC. XLIIII. Pontifi„catus nostri anno XXV.

(*e*) Iura Scholastici in iuniores Canonicos expo-
nun-

has ſcholas conſtituti *Canonici iuniores*, diſciplinae ſcholaſtici tamdiu ſubiecti erant, (*f*) donec tandem in artibus et in Cantu ſatis inſtructi, praeuio Scholaſtici examine publice probati, ſolenni *emancipationis* ritu (*g*) ex *nexu Scholaſtici* dimiſſi, et digni iudicati, ad ius Capituli et in Maiorum Canonicorum conſortium adſpirarent. Iisdem intra ſcholas adhuc conſtitutis, non minus proſpectum eſt ex bonis eccleſiae communibus, datis et aſſignatis praebendis mi-

nuntur in Ordinatione *Conradi*, Archiepiſcopi Moguntini, de a. 1190. quam exhibet VALENT. FERD. DE GVDENVS *in Cod. diplomat. tom. I.* p. 295. 297. 299. et in decreto *Salmanni*, epiſcopi Wormatienſis, de a. 1347. in IO. FRID. SCHANNATI *hiſtor. epiſcop. Wormat. Cod. prob. n. 197. p. 171.* Conf. ANT. MATTHAEI *de nobilitate l. 2. c. 39, p. 622.*

(*f*) *Canonici infra ſcholas* conſtituti vocantur in capitulatione *Burchardi*, Epiſcopi Hildeſemenſis de a. 1562. in LVNIGII *ſpicil. eccl. tom. XVII. p.* 1099.

(*g*) Totam emancipationis rationem erudite expoſuit vir, doctrina et meritis illuſtris, CHRISTIANVS GOTTL. BVDER in *Symmiſtis Obſeruationum et opuſc. lib. I. obſeruat.* de emancipatione Canonica in capitulis Germaniae.

minoribus; quamquam hae diſpoſitioni et procurationi *Scholaſtici* relinquerentur (*h*).

§. IV.

Academiis per Galliam, Italiam et Germaniam erectis, maiorique inde artium ſcientiarumque in iis, quam in ſcholis Canonicis capeſſendarum copia data, principio quidem nonnullis Canonicis iunioribus ex *ſpeciali Capituli venia* et ex *Scholaſtici* conſenſu iisdem intereſſe permiſſum eſt; horumque exemplo poſtea inualuit, vt Canonicis iunioribus ſeruaretur arbitrium, vtrum vel in ſcholis perſiſtere, vel ad *ſtudia generalia* ſe conuertere mallent; negata

(*h*) *Minus plenae* praebendae vocantur; cum *plenae* obuenirent emancipatis. ANT. MATTHAEI *l. c. p. 622.* Ius Scholaſtici circa illas traditur in cit. Ordinat. Moguntina de a. 1190. apud Dn. de GVDENVS *l. c. p. 295 vt omnes de cetero ſcholares Canonici, tam praeſentes quam futuri in eccleſia Moguntina, vsque ad emancipationem cum ſuis praebendis in procuratione ſint magiſtri, niſi magiſtri liberalitas alicui gratiam faciat.* Conf. GE. CHRIST. IOANNIS *tom. II. rerum Mogunt. p. 678.*

gata *scholastico* facultate, eosdem impediendi, quo minus cultum studiorum *in academiis* quaererent. (*i*) Tandem scholis canonicorum vilescentibus, et in *scholas puerorum* passim conuersis, vel prorsus extinctis, (*k*) statutis et obseruantia capitulorum definire placuit *tempora*, per quae literarum studiis in Academiis

(*i*) In Constitutionibus BRANDAE Cardinalis, legati Martini V. visitatoris et reformatoris pro ecclesia Moguntina et totius Allemanniae de a. 1422., quas exhibet IO. PETR. DE LVDEWIG *reliq. med. aeui tom. XI. p. 198.* cauetur. *Si tamen aliquis praedictae aetatis ad* STVDIVM GENERALE *de* LICENTIA PRAELATI SVI, *studendi causa, se transferat, nolumus a Scolastico per retentionem praebendae vel alium modum debere impediri.* In *Concilii Constantiensis* Decretalibus reformatoriis de reformatione ecclesiastici status lib. I. tit. 2. quos exhibet HERMANNVS VON DER HARDT *in actis Concilii Constant. tom. I. P. X.* p. 671. dispositum est *Scholasticus Iuniorem aliquem Canonicum Generali studio volentem insistere nullatenus habeat impedire, vel actu studio insistentem reuocare, sub poena priuationis suae Scholastriae, qua sit, si contra praemissa fecerit, priuatus ipso facto.*

(*k*) Obseruat BERNH. ZEGER. VAN ESPEN *in iure eccl. P. II. Sect. I. tit. 11. §. 6.* scholas seu *collegia episcopalia*, in quibus iuuentus ad statum

demiis opera danda eſſet a iunioribus canonicis omnibusque ad ius capituli adſpirantibus.

§. V.

Variant omnino *tempora*, literarum ſtudiis in Academiis capeſſendis per ſtatuta capitularia definita, in iisque et *academiarum* ratio habita eſt. In magna exiſtimatione erant Academia *Pariſienſis*, *Bononienſis* aliaeque extra Germaniam conſtitutae, et gratiam apud Superiores inibant, ſpretis ſumtibus et itinerum

tum eccleſiaſticum formabatur, circa *ſec. XI.* multum flaceſcere coepiſſe; tum ob varias *academias* ſeu ſcholas publicas tum erigi coeptas, tum ob *iniuriam temporum* et *deſidiam praelatorum*: ita vt difficile eſſet ab anno milleſimo vsque ad concilium Tridentinum praeter ſcholas *publicas* aut quasdam *priuatas* in Monachorum vel canonicorum regularium monaſteriis, alias *ſcholas epiſcopales* inuenire, in quibus iuuentus ad munia eccleſiaſtica obeunda disponeretur. Conf. LVDOVICVS THOMASSINVS *de vet. et noua eccleſiae diſciplina P. 4. lib. 2. c. 35. n. 1.* HERM. CONRINGIVS *in antiquitatibus academicis diſſ. III. §. 13. 14. 15. 16.*

nerum molestiis illas adeuntes. In his per *annum integrum* literis operam nauasse sufficiebat, cum in academiis in Germania constitutis per *biennium* per *triennium* et subinde per longius tempus (*l*) studiorum causa versari oporteret iuniores Canonicos, antequam aditus ad beneficia maiora pateret: quasi breuiori tempore colligi possint maiores studiorum fructus apud exteros. Exhibemus hanc in rem statutum capituli *ecclesiae Hildensemensis a. 1419.* conditum.

„Dei gracia *Eggehardus* prepositus, „Iohannes decanus, totumque Capitu„lum ecclesie Hildensemensis presenti„bus recognoscimus, quod pridem de „anno domini Millesimo Quadringente„simo decimo sexto, feria secunda, in „capite aduentus domini, in capitulo „no-

(*l*) in *Decretis prouincialibus concilii Treuirensis* de a. 1549. in V. R. IO. NIC. HONTHEIMII *histor. Treuirensi Diplomat. T. II. p. 752.* tempus studiorum sufficiens, ex *arbitrio Capituli* definiendum, exigitur.

„noſtro generali edita fuerunt infra ſcri-
„pta ſtatuta, et quia hucusque nondum
„fuerunt ſigillo noſtri capituli munita,
„Idcirco eadem ſtatuta preſenti generali
„capitulo noſtro approbamus ac denuo
„ſtatuimus et ordinamus perpetuo dura-
„tura. In primis quidquid maior pars
„noſtri Capituli ſecundum numerum
„perſonarum et capitum in tractatibus
„quoad iuſticiam dictauerit, illud ſer-
„uetur. Item *Canonici noſtri intra ſco-
„las ſeu domicelli debent adire ſtudia
„priuilegiata et ibidem ſtudere, ſi fue-
„rit in Alemannia, per triennium, et
„et ſi extra Alemaniam, per vnum in-
„tegrum annum, et per illud tempus
„habebunt corpus reddituum ſue pre-
„bende ſicut ceteri canonici noſtri reſi-
„dentes, et vltra hoc quinque marcas,
„per triennium ſtudentibus dari conſue-
„tas recipient eo modo, ſicut attenus
„obſeruatum eſt, et antequam hoc fe-
„cerint, pro non emancipatis debent
„haberi.* Item volentes litigare in foro
„contencioſo pro iuribus, fructibus, red-
„ditibus et prouentibus beneficiorum

 „ſuorum

„ſuorum, in eccleſia Hildenſemenſi con-„ſtitutorum, debent hoc capitulo noſtro „intimare, et de conſenſu et conſilio e-„iusdem capituli huiusmodi litem inten-„tare, et tunc ipſis a capitulo detur me-„dietas expenſarum in huiusmodi lite „fiendarum, dummodo tamen ipſi liti-„gantes, ad dictamen capituli noſtri, „dum viſum fuerit oportunum, ſint „contenti in iure vel in amicicia, quod-„ſi rennuerent, huiusmodi ſubſidio per-„amplius carebunt. In teſtimonium o-„mnium et ſingulorum premiſſorum ſi-„gillum capituli noſtri preſentibus duxi-„mus appendendum. Datum anno do-„mini MCCCCXIX. In capitulo no-„ſtro generali, quod iſta vice a feria ſe-„cunda proxima poſt Inuocauit vsque in „feriam quartam proximam poſt Remi-„niſcere ad hec ſtatuenda ex cauſis legi-„timis fuit prorogatum".

Canonicis S. Seueri Erfordienſibus praeſcriptum erat *biennium*, ceu patet ex Mandato Gerlaci, Archiepiſcopi Mo-guntini

guntini, de a. 1439. (*m*) quo approbatur ſtatutum, *quod qualitercunque Canonicatus et Praebendas in iſta eccleſia aſſecuti, emancipari et ad capitulum aſſumi ac habere vocem in capitulo non deberent, niſi prius ſtetiſſent per biennium integrum in Studio generali.*

§ VI.

Huiusmodi ſtatutorum ſcopus primitns quidem fuit, vt ſcientiis et inprimis iuri *Ciuili*, iuri *Canonico*, nec non *theologiae* per tempus congruum operam dantes, ad eccleſiae munera diſponerentur iuniores Canonici. Inde quidem ad Superiorum curam relatum eſt, vt *inquirerent* diligenter in progreſſus in ſtudiis et in vitam canonicorum ſtudentium, vtique hos obſtringerent, vt doctorum teſtimonia, quibus ſuam in ſtudiis diligentiam probarent, exhiberent quotannis (*n*). Sed cum ipſa *vita Canonica*

(*m*) Hoc exhibet illuſtris BVDERVS loc. cit. *lib. I. obſ. I. §. 11. p. 11.*

(*n*) ESPENIVS *de inſtitutis et officiis Canonicorum*

nonica a rationibus *pristinae disciplinae* longe deflectere coeperit: quid mirum est

rum P. III. tit. V. §. 3. Exemplum literarum *testimonialium* pro *Bodone de Wirten*, Canonico Hildesemensi, in Studio generali almae *vrbis* et *Romanae curiae* versanti a. 1424. datarum huiusmodi est.

„Vniuersis et singulis presentes literas inspe„cturis: Nos *Guillelmus Breilletti* in vtroque „iure licentiatus, Canonicus et *archidiaconus* „Medie in Ecclesia ac Nannetensi inclite vni„uersitatis studii generalis almε *vrbis* et *Ro„mane curie* Rector salutem in eo qui est nostri „vera salus. Vniuersitati vestre harum serie „testificamus et attestamur, quod, sicut ex fi„de dignorum testimonio accepimus, discretus „vir, *Bodo de Wyrten*, Canonicus Hildense„mensis, in prefata nostra vniuersitate in iure „Canonico adhuc actu studuit, et studet de „presenti. Ita quod ipse scholaris de Alma „vniuersitate studii curie et vrbis predictorum „existit, et ab omnibus merito talis est censen„dus, ac quibuscunque priuilegiis prorogati„uis aliorum eiusdem vniuersitatis scolarium, „in eodem iure studentium, potiri debet pari„ter et gaudere, tamquam scolaris, vt prefer„tur. Pro ipsius itaque Bodonis cautela pre„sentes literas, nostri sigilli appensione muni„tas, sibi duximus liberaliter concedendas. „Datum *Rome* anno a natiuitate domini Mille„simo quadringentesimo vicesimo quarto, In„diccione secunda die sabbati, tertia mensis „Iunii, pontificatus sanctissimi in Christo patris „et

est euenisse, vt emenso literarum studio non

„et domini nostri Martini diuina prouidentia „pape quinti, anno septimo.

Sigfridus Rottingen, Canonicus Hildensemensis, post exacta studia in vniuersitate Lipsiensi a. 1424. has literas impetrauerat.

Venerabilibus et circumspectis viris, dominis prelatis, Eghardo preposito, Iohanni Soltow decano, Hinrico de Langelgen Scolastico, ceterisque canonicis et toti capitulo ecclesie Hildensemensis *Nycolaus Schulte*, *de Frankenuordis*, arcium magister, Rector alme vniuersitatis *studii Liptzensis*, Merseburgensis diocesis, quicquid poterit obsequii, reuerencie et honoris. Discretum virum, dominum *Siffridum de Rottinge*, *canonicum ecclesie Hildensemensis*, membrum vniuersitatis nostre Liptzensis prefate, in iure canonico scolarem bene meritum atque dignum, presentium ostensorem, nobis sinceriter dilectum, qui in dicta nostra vniuersitate per *quatuor annos* continue scientiarum studiis insudando, ac laudabiliter viuendo honorifice se rexit, et est conuersatus, fama super hoc plurimum exclamante, vobis, et vestrum cuilibet, tenore presencium recommendamus, affectuose et sincero studio supplicantes, quatenus prefatum dominum Siffrydum, suorum meritorum ac dicte vniuersitatis intuitu, in omnibus suis agendis negociis atque factis, necnon et in hiis, que sui promotionem et commodum respiciunt, fauorabiliter et graciose dignemini prosequi, dirigere et promouere, sibique vestrum pronum animum et benignum exhibere; similia nedum, sed et maiora

non tam *de studiorum fructibus*, in academia collectis, sed de obseruata statuti lege et de *tempore*, ex eius norma abscisse in Academia transacto, quaereretur. Antiqua est huius abusus causa. Quae iam seculo XIV. in istius statuti fraudem acta, quaeque in eius rei remedium cauta sint in capitulo Ecclesiae Osnabrugensis, intelligere iuuabit ex *statuto*, eam in rem condito a. 1398.

„Thiedericvs Dei gracia Episco„pus, *Wilbrandus* Decanus, Amelun„gus de Varendorpe, Hermannus Pe„tronelle, Hermannus Driehus, Nico„laus Distelowe, Sanderus de Merpen, „Hinricus Vots, Hermannus Rant, Ger„hardus Buck, Wolterus de Wulfften, „Io. Schlependorf, Bruno Offenkopere, „Io. de Haaren, Hermannus de Bram„horne et Io. de Varendorpe, *Canonici* „et

a dicta nostra vniuersitate et nobis sinceriter recepturi.

Datum *Liptzk* anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo quarto, mensis maii die vigesima, Rectoratus nostri sub sigillo.

„et *Capitulum Ecclesiae Osnabrug.* ho-
„norabili viro Dno Arnoldo Stecke, Prae-
„posito, notorie in remotis agente, et
„Westelo Scholastio aegritudine decum-
„bente, vniuersis et singulis ex nunc in
„ecclesia nostra beneficiatis et in poste-
„rum succedentibus et futuris salutem
„in eo, qui est omnium vera salus, et
„presentibus ad perpetuum rei memo-
„riam indubiam fidem adhibere. - - -
„Attendentes insuper, quod licet de sta-
„tuto et consuetudine inconcusse obser-
„uatis et obtentis, nullus Canonicus, de
„nouo receptus, poterat aut consueuerat
„emancipari, *nisi in aliquo loco solemni*
„*extra regnum Almanniae, quo Stu-*
„*dium viguit, efficaciter Studio inten-*
„*derit et studuerit per Annum inte-*
„*grum et sex septimanas, tamen, quod*
„*dolenter referimus, nonnulli in eius-*
„*modi Studiorum locis, aliis seruiendi,*
„*et praesertim in Romana curia litigan-*
„*di vel gratias impetrandi causa, ste-*
„*terint, et moram traxerint, licet scho-*
„*las non frequentauerint, lectiones*
„*non audierint, neque studuerint, in*

 „*fraudem*

„*fraudem et Elisionem statuti et con-*
„*suetudinis praedictarum;* sic tamen,
„ipsi statuto et consuetudini se *satisfe-*
„*cisse* asserentes, importune obtinuerunt,
„*se emancipari*, verum etiam cum plu-
„res ex Canonicis Ecclesiae nostrae ha-
„beant Archidiaconatus cum Iurisdictio-
„nibus spiritualibus annexis et cognosce-
„re habeant de causis etiam delegatis,
„easque in via iuris definire et termina-
„re, quod sine iuris Canonici vel Ciui-
„lis aut Sacrae Theologiae studiis vix
„fieri potest, nec debet - - - Volumus,
„statuimus et ordinamus, quod nullus
„Canonicus, ex nunc in antea admitten-
„dus, *de coetero emancipetur, nisi per*
„*vnum Annum fuerit et moram traxe-*
„*rit in aliquo loco solenni priuilegiato,*
„*quo studium vigeat, et ibidem Lectio-*
„*nes Doctorum et Baccalauriorum in*
„*iure Canonico vel ciuili aut sacra Theo-*
„*logia, ac realiter cum effectu diligen-*
„*ter studuerit, et de hoc per litteras*
„*authenticas Doctorum et Vniuersita-*
„*tis illius Studii Nobis Decano et Ca-*
„*pitulo fecerit plenam fidem, et nihilo-*
„*minus*

„*minus corporaliter praestet Iuramen-*
„*tum, quod principaliter causa studii,*
„*et nulla alia de causa, moram traxe-*
„*rit ibidem.* Acta sunt haec in Capitu-
„lo Ecclesiae nostrae Anno Domini *Mil-*
„*lesimo Tricentesimo, Nonagesimo O-*
„*ctauo*, Mensis Augusti die sexta. In
„quorum omnium testimonium Sigilla
„nostra Maiora praesentibus sunt ap-
„pensa.

§. VII.

Itaque tota hujus obseruantiae causa eo fere rediit, vt legitimum tempus ex statuti norma studiorum causa in Academia transactum esse, testimonio academiae publico probetur, praesumtione iuris, illud *canonice* et *vtiliter* transactum esse, canonicis studentibus insigniter fauente. Hoc demum testimonio exhibito, nouus Canonicus *emancipatur*, vel vbi is ritus obsoleuit, *emancipationis documento*, a Scholastico vel Decano impetrato, dignus iudicatur ad ius Capituli capessendum. In computando *tempore studiorum legitimo* initium

pro-

procedit, ex quo ſtudiorum tractandorum auſpicia facta ſunt, et ab eo inde die, quo quis in *Academiae matriculam* relatus eſt. Sed et tempus illud abſciſſe exactum, et annum, biennium, triennium non inceptum, ſed *completum* eſſe oportet, vt ne dies quidem deſit. Completum autem eſſe conſtat, ſi et *vltra* legitimum tempus in Academia ſtetit Canonicus. Itaque triennii *et vltra* probatio paſſim exigitur. *Annum* et *Sex ſeptimanas* deſiderat ſtatutum eccleſiae *Osnabrugenſis* antea §. VI. exhibitum. Et opinabile omnino eſt, id in media Weſtphalia repetitum eſſe ex moribus Germanorum, quibus annus completus, ſeu annus et dies, definitur per *annum* et *ſex ſeptimanas*. (o) Ceterum vbi tempus biennii vel triennii et vltra in genere definitum, nec tamen cautum eſt in ſtatutis, vtrum in *eadem*, an in *diuerſis Academiis* tranſigendum ſit, ſtatuto ſatisfactum eſſe, eiusque rationibus

(o) *Ius Weichbildicum Sax.* art. 21. *Ius feud. Sax. art.* 50.

bus conuenire videtur, etiamsi studia per tempus legitimum acta sint in diuersis academiis. Quodsi statuti vel obseruantiae lege exigitur, vt quis biennio vel triennio in *eadem academia* fungatur: parendum est iuri, vt quis iuris beneficio fruatur. Est vero hoc inter priuilegia a Rege nostro Augustissimo Academiae Georgiae Augustae data, *art. XXIV.* constitutum, vt quibus ad consequenda in prouinciis Germanicis, quae Regi parent, beneficia ecclesiastica haec proposita conditio est, vt triennio fungantur academico, hi etiam qui alio in loco curriculum studiorum Academicorum ingressi, tres ipsos annos non peregerint, illud in nostra Academia peragere possint, ita vt tempus in alia academia peractum ad hoc triennium implendum procedat illis et imputetur.

§. VIII.

Ceterum cum illi, qui *studiorum causa* ex Superiorum indulgentia *absunt*, iuribus *praesentium Canonicorum* et facultate

cultate fructus beneficii in absentia percipiendi fruuntur; (*p*) tum idem iuris beneficium habent canonici iuniores, vt per legitimum studiorum curriculum et vltra percipiant fructus *praebendarum minorum*, quae solent *domicellis* obuenire. Idem repetitum est in statuto capituli ecclesiae *Hildensemensis* supra §. V. excitato. Sed haec de fructibus ex corpore beneficii et praebendae intelliguntur: neque enim iis obueniunt *distributiones quotidianae*, (*q*) quarum ea ratio est, vt iis tantum ex regula obueniant, qui *vere* intersunt *officiis diuinis* (*r*).

(*p*) *c. 5. X. de magistris et ne aliquid exigatur.* ESPENIVS l. c. *P. III. c. V.* §. *3.* Vir illustr. GE. HENR. AYRER *in diss. de beneficio a latere* §. *24.*

(*q*) ESPENIVS *l. c.* §. 5.

(*r*) c. vn. de Clericis non resid. in 6. c. 7. X. eod. c. 32. X. de Praebend. Distributiones quotidianae frequenter vocantur *manualia*, quod velut manibus praesentium Canonicorum praesententur. Ratio eorum exponitur in *sententia Capituli Bremensis* in causa absentium canonicorum, de a. 1288. quae haec est;

Nos

„Nos *Theodericus* dei gracia Decanus to-„tumque *Bremensis ecclesie Capitulum* presenti-„tibus protestamur, quod ad instanciam Th. „Decani - - Thesaurarii et quorundam Canoni-„corum Buccensis ecclesie coram nobis est sen-„tencialiter diffinitum, videlicet, quodsi Ca-„nonicus aliquis desit cum licencia Capituli „vel dyocesani, cui Capitulum consenserit, „presens non excluditur. Si vero absens fue-„rit, non vocatur. Nec infra absenciam ha-„bebit vocem in Capitulo neque vicem. Nec „accipiet *manualia*, videlicet *oblaciones* siue „*denarios de memoriis mortuorum*, et omnem „pecuniam, que per *singula festa* vel *alia tem-„pora Canonicorum manibus presentatur.* Item „si Canonicus propter causam proprii excessus „presens non sit vel esse non poterit, carebit „similiter omnibus supradictis. Si vero aliquis „ad tollenda predicta pro absente se intromise-„rit, decanus illum excommunicandi habet li-„beram potestatem. Item quod dyocesanus „Canonicum, quem ad *latus suum non habeat*, „de choro non poterit liberare. Datum Breme „anno domini M. CC. LXXX. octauo XIIII. „Kal. Septembris. In die - -



OBSER-



OBSERVATIO VIII
DE
IVRE PROMOTORVM ADSPIRANDI AD BENEFICIA ECCLESIASTICA.

ARGVMENTVM

§. I. *Sanctio Instr. Pac. de promotis a beneficiis ecclesiasticis non excludendis.*
II. *Origo obseruantiae, ratione nobilitatis, in canonicis desideratae.*
III. *Quae iure communi non exigitur.*
IV. *Origo similis obseruantiae in Promotis tum vi exaequationis eorum cum nobilibus.*
§. V. *Tum ob praesumtionem scientiae, ob quam haud indigent emancipatione.*
VI. *Obseruantiae huius exempla in variis Germaniae capitulis.*

§. I.

Aditum ad beneficia ecclesiastica his, qui gradibus academicis insigniuntur, conseruat et tuetur *Instrumentum Pacis Westphalicae art. V.* §. *XVII.* dum operam dari iubet, *ne nobiles, patricii, gradibus academicis insigniti, aliaeque*

que personae idoneae, vbi id fundationibus non aduersatur, a beneficiis *excludantur, sed vt potius in iis conseruentur.* Totius constitutionis nexus docet, id potissimum agi, vt ne beneficia ecclesiastica reddantur *hereditaria*, sed salua et integra seruentur in commodum eorum, quibus vel ex *fundationis* lege vel ex *iure communi* conferenda sunt: quorum numero excitatae personae, ceu beneficiorum capaces, recensentur. Quod *gradibus academicis* insignitis prospectum iuerint transigentes, vel ideo contigit, quod a nonnullis capitulis, etiamsi nec obseruantia nec statuta aliud exigerent, temere excluderentur. Quam rationem interserebant *Status Euangelici*, (*a*) cum primi de

(*a*) Declaratio Euangelicorum d. 9. Iun. a. 1646. in IO. GODEFR. DE MEIERN *act. Pac. Westph. tom. III. p. 163. Dieweilen auch von etlichen Stifftern Adeliche Geschlechter in Städten, Doctores vnd andere qualificirte Personen ausgeschlossen werden wollen, welches aber den fundationibus zuwieder: als sollen diese hinführo nicht weniger als andere adeliche vnd hohe Standes Personen zugelassen werden.*

de iisdem in posterum admittendis sententiam exponerent. Idem probatum est legatis *Caesareanis* (*b*) et *Suecicis* (*c*), omnem hanc causam ad obseruantiae et statutorum leges reuocantibus. Gradibus *academicis* distinctos (*d*) generatim beneficiorum capaces declarat Pax Westphalica, nulla *studiorum*, in quibus *ad honores* promouentur, habita ratione. Namque praeter *Iuris Ciuilis*, et *Canonici* Doctores, etiam *Theologiae*, *Philosophiae*, immo et *Medicinae* Doctores olim ad beneficia euectos esse constat. Neque porro in hac sanctione beneficiorum *immediatorum* vel *mediatorum* discrimen seruatur, cum

(*b*) *Vid. acta pac. Westph. tom. III. p. 187.*

(*c*) Saluii, Legati Suecici, declaratio legitur ibid. p. 427. *Ad quaelibet autem beneficia non minus Doctores, Patricii, et aliae personae idoneae, quam Nobiles et Magnates admittantur, vbi id fundationibus et consuetudini conuenit.*

(*d*) Gradibus *academicis* insignitos cit. loco ideo compelli, vt distinguerentur a Doctoribus *bullatis*, in nullo fere honore habitis, recte obseruat GODOGR. FERD. DE BVCKISCH in *Obseruat. ad Instr. Pac. p. 160.*

cum immediatorum, de quibus dubitari magis poterat, inprimis mentio iniiciatur. Id modo cauetur, ne admittantur Doctores, vbi *fundationibus* id aduersatur. Itaque breuiter exponere, iuuabit, quibus rationibus effectum sit, vt ad *beneficia ecclesiastica* in ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis admissi sint *Doctores academici*, vel obseruantia statutisque capitulorum ab iisdem exclusi.

§. II.

Prisca quidem, sub origine capitulorum, haec fuit disciplina, vt quicunque ad *sacros Ordines* obeundos idonei essent, iidem et in numerum reciperentur *canonicorum*, hoc est clericorum, qui in ecclesiis Cathedralibus et collegiatis ad vitam communem secundum regulas agendam se obstrinxerant. Tum quidem in canonicis recipiendis non magis *nobilitatis* quam *dignitatis doctoralis* ratio habita est, siquidem *nobiles* et *ingenui*, *militiae* vacantes, Ordines sacros rarius ambierunt, *Promotos* Ger-

mania ignorauit. Sed increſcente Canonicorum, maxime capitularium, *dignatione*, nec non vitae canonicalis *communione* in multis eccleſiis reſciſſa, viuendique ratione in *bonorum affluentia* lautiori et laxiori reddita, religioſum otium in illuſtriori loco natis adeo perplacere coepit, vt hi non appetierint modo in eccleſiis cathedralibus et collegiatis beneficia, ſed et eadem ſenſim ac pedetentim nobili et militari generi paſſim propria effecerint, accedentibus maxime ditiſſimis bonorum largitionibus, fundationibusque *ea lege* factis, vt non niſi *generis nobilitate conſpicuis* obuenirent. Quod primo vſu et obſeruantia in variis eccleſiis ſeculo XI. iam introductum, dein imitatione ad alias propagatum, tandem conſuetudinis et ſtatuti iure in multis eccleſiis cathedralibus et collegiatis obtinere coepit (*e*).

§. III.

(*e*) Conf. B. Parentis *ius eccl. lib. III.* tit. V. §. 85. et Celeb. IO. GE. CRAMERI tr. de *iuribus et praerogat. nobilit. auitae* cap. II. §. 9.

§. III.

Neque tamen haec obſeruantia vbique nec omnino oppreſſit priſcam diſciplinam. In multis eccleſiis viris non generis quidem nobilitate ſed *doctrinae* et *virtutis meritis* conſpicuis aditus ſeruatus eſt ad beneficia eccleſiaſtica, idque ſeculo XIII. pro *iure communi* habitum (*f*) et recepto corpore iuris canonici pro *iure communi* agnitum eſt; ſalua ceteroquin particularium eccleſiarum in *nobilibus* et *militaribus* hominibus recipiendis *obſeruantia*. Idem illuſtrat commune capitulorum inſtitutum et praeceptum, vt iis doctrinis et diſciplinis, quas *functionum eccleſiaſticarum* indoles deſiderabat, imbuerentur recipiendi, ſcholisque canonicis intereſſent tamdiu, donec diſciplinis ſatis inſtructi, ſolennique examine probati a Scholaſtico emanciparentur ſeu ab obligatione ſcholas Canonicas frequentandi ſolenniter abſoluerentur.

§. IV.

(*f*) vid. *c. 37. X. de praebend.*

§. IV.

Vniuersitas Bononiensis, seculo XII. florentissima, eodem seculo Germaniae dedit *Doctores* (g) non minus in *iure ciuili* quam in *Decreto Gratiani*, in quo interpretando Iuris Canonici scientia tum quaerebatur, ad honores euectos. *Legistae* et *decretistae* dicebantur. Mox Germania, sec. XIV. variis academiis culta, plures vidit Doctores in gremio suo creatos. Existimatio horum in Caesaris et principum Imperii aulis magna incrementa coepit, iique ipsa dignitate, qua ob doctrinam literarumque prae-

(g) Sec. XII. *Decreto Gratiani* mox publici iuris facto, creari coeperunt *Decretorum Doctores;* idque ad annum MCLIII. et ad concessionem Eugenii PP. III. refertur in vetusto *Kalendario archigymnasii Bononiensis*, cuius verba refert ALEX. MACHIAVELLI in not. ad Sigonii *histor. Bonon. tom III. operum Sigonii p. 129. Legistas* et *Decretistas* in aula RVDOLPHI iam a. MCLXXXV. in honore habitos esse, docet exemplum discordis electionis Archiepiscopi Treuirensis apud ARNOLDVM *Lubecensem* in *Chron. Slav. lib. III. c. 10. n. 6.*

praeſtantiam exornati erant, ab *ordine plebeiorum* exemti cenſebantur. In qua exemtione a condjtione plebeia cum ipſa nobilitatis ratio conſiſtat; mirum non eſt, Doctoribus tributam eſſe *nobilitatem perſonalem*, honoresque academicos, vſu Germaniae fere communi, exaequatos eſſe *nobilitati equeſtri et gentilitiae* (*h*). Inde prima occaſio nata eſt indulgentiae capitulorum in adſciſcendis *doctoribus* in Canononicorum conſortium, etiam nobilium. Difficilius haec obſeruantia in ea capitula irrepſit, in quibus praeter nobilitatem probatio

(*h*) Doctores *nobilibus* non modo olim *aequiparatos*, ſed et ſubinde *antepoſitos* eſſe, indeque *nobiles*, frequentes *infulas doctorales* expetiiſſe, pariaque illis cum his in variis argumentis in legibus Imperii data eſſe iura, luculenter docuit V. C. IO. GE. CRAMER l. c. *Cap. IV. §. 8. p. 283. et ſeq.* Conf. PHIL. KNIPSCHILD *de nobilitate ſagata et togata lib. I. C. 6. n. 75. et ſeq.* Iſtam comparationem Seculo XV. his verbis effert PETR. DE ANDLO, Canonicus Columbarienſis, in tr. *de Imperio Rom. lib. II. c. XI. quilibet Doctor dicitur nobilis* et *gaudet priuilegio nobilium; et ſi viginti annis in cathedra legerit, Comitis priuilegio gaudere debet,*

batio *veteris prosapiae*, definito imaginum numero illustris, desiderabatur.

§. V.

Accessit altera ratio, quae respicit capitula, in quibus nobilitatis in recipiendis Canonicis ratio non habebatur. Erectis videlicet in Germania academiis, fere desierunt scholae canonicae, triennio vel quinquennio vel vlteriori tempore constituto, quo literarum studiis operam in academiis dare oportuit nouitios canonicos. Cum vero emancipatione ideo opus erat, vt de doctrina et profectibus nouitii constaret: (*i*) tum ea non

(*i*) De emancipatione egit B. Parens in *Iure Eccl. lib. III. Tit. I.* §. 83. Haec, stadio literario in Academiis transacto, adhuc desiderabatur. Explo est *statutum ecclesiae Hildesiensis* de a. 1420. Dei gratia Iohannes Decanus, Henricus Scholasticus totumque capitulumque ecclesiae Hildesiensis pro declaratione statuti anno praecedente, in quo de domicellis nostris *studentibus* continetur, adiiciendum esse decernimus et decernendo statuimus, quod canonici non emancipati ad eligendum obedientias non admittantur. Illos autem, qui in *locis studiorum* ordines receperint, *pro obtinenda emancipatione*

non desiderabatur in Promotis, honorifico iudicio academico exornatis (*k*). Inde vero beneficiorum canditati honores academicos ambierunt. Et in capitulis, quibus literati magis quam nobiles canonici intererant, infula doctorali distincti prae caeteris idonei habebantur ad beneficia ecclesiastica consequenda, aliisque solebant *praeferri* (*l*).

§. VI.

ne ad partes redire oportebit, et tempus accessus et recessus ipsorum pro obtinenda huiusmodi emancipacione computabitur eis ad complendum tempus studii sui; prouiso tamen, quod dolose aut maliciose in obtinenda huiusmodi emancipacione non faciant nimiam temporis dilacionem, presentibus perpetuo valituris. In quorum testimonium sigillum capituli nostri presentibus est appensum. Datum anno Domini M. CCCC. XX.

(*k*) In Constitutione Cardinalis *Brandae* Legati a latere Martini V. per Germaniam de a. 1422. quam *tomo XI. reliquiar. med. aeui* exhibet IO. P. DE LVDEWIG p. 398. magistri et licentiati in sacra pagina, doctores et licentiati in iure Canonico vel ciuili a cura ipsius Scholastici liberi et emancipati decernuntur.

(*l*) In *Concordatis Nat. Germ. cum Martino V. de a. 1418. cap. IV.* cauetur, vt *Graduatus* praeferatur *non Graduato* in beneficiorum collatione. vid. LEIBNITII *Cod. iur. gent. tom. I. p. 338.*

§. VI.

Vſum iſtius iuris, in Doctoribus *pari iure* cum nobilibus ad Canonicatus admittendis, varia Germaniae capitulorum ſtatuta euincunt, quibus *alterutrum* olim requiſitum eſſe legimus, vt quis vel proſapia eſſet illuſtris vel dignitate academica diſtinctus. Eccleſiae Halberſtadienſis hoc olim fuit Statutum (*m*). *Nullus vnquam debet recipi in Canonicum, niſi de illuſtri Ducum, Principum, Comitum, Baronum, vel ſaltim de militari, ex quatuor aſcendentibus, nobilibus parentibus ſuis, genere recta linea et legitimo thoro procreatus, ſeu in theologia magiſter aut in vtroque vel altero iurium Doctor etiam legitime genitus, et in vniuerſitate approbata promotus fuerit, et debet probari nobilitas vel gradus doctoralis per literas teſtimoniales*

(*m*) in LVNIGII *ſpicileg. eccleſ. Part. II. tom. XVII. in app. p. 76.* Hoc ſtatutum innititur priuilegio Bonifacii VIII. ibid. p. 35. 36. ibi: *vel ſaltem in ſacra theologia profeſſus aut in iure canonico vel ciuili licentiatus et Doctor exiſtat.*

ſtimoniales quatuor nobilium, *vel vniuerſitatis*, *in qua recipiendus eſt promotus.* In ſtatutis eccleſiae Bremenſis cauetur, (*n*) *vt nemo aſſumatur vel eligatur in Canonicum*, *niſi ſit illuſtris*, *Nobilis*, *vel graduata perſona*, *nimirum Doctor aut vtriusque iuris licentiatus.* Sixtus PP. V. in praecepto, *Misnenſi Merſeburgenſi* et *Numburgenſi* eccleſiis dato, (*o*) in pluribus aliis Germaniae eccleſiis ſtatutum et ordinatum eſſe refert, quod in canonicum nemo reciperetur, niſi *nobilis de militari genere ex vtroque parente procreatus*, *aut in theologia*, *vtroque vel altero iurium Doctor ſeu Licentiatus vel medicinae Magiſter exſtiterit;* idemque in iſtis eccleſiis ſancit. Eandem diſciplinam quondam ſeruatam eſſe in eccleſia *Hildeſemenſi*, argumento eſt Priuilegium *Bonifacii* PP. IX. anni CIↃ CCCXCI. quod

(*n*) in LVNIGII *ſpic. eccl. cont. III. tom. XXI. p.* 960.

(*o*) in IO. P. DE LVDEWIG *reliq. med. aeui tom. IX. p.* 662.

quod humaniſſime nobiscum communicatum in margine exhibemus (*p*). Vnde

(*p*) Bonifacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad ea, quae eccleſiarum, praeſertim cathedralium honorem et vtilitatem ac etiam perſonarum eccleſiaſticarum, in illis degentium commodum et tranquillitatem et quietum ſtatum concernunt, libenter intendimus, illisque, quantum cum Deo poſſumus, fauorem beneuolum impartimur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte venerabilis fratris noſtri - - - Epiſcopi Hildeſem. et dilectorum filiorum Praepoſiti, Decani, et Capituli eccleſiae Hildeſemen. petitio continebat, quod ad Canonicatus et praebendas, ac dignitates, perſonatus, et officia eiusdem eccleſiae regulariter a tempore, cuius *contrarii memoria* non exiſtit, conſueuerunt recipi *perſonae nobiles*, de Principibus aut Comitibus, vel ſaltim *militaribus parentibus* procreatae, et alias tales, qui *bona temporalia* ipſius eccleſiae poſſent veriſimiliter defenſare, quodque iidem, Epiſcopus praepoſ. Decanus et capitulum ad hoc, vt iura et libertates, ac immunitates et honores eiusdem eccleſiae virilius et melius tueri poſſint, quantum in eis fuit, ſtatuerunt, et etiam ordinarunt, quod in dicta eccleſia ad canonicatus et Praebendas ac dignitates perſonatus et officia huiusmodi nullus deinceps recipiatur, niſi fuerit ſtatu liber, et nulli quacunque ſeruitute obnoxius ac de *nobili* vel ſaltem ex vtroque parente de *militari* genere procreatus, aut in *aliqua licita facultate*, cum rigore

de cum *Ioannes Kolchagen* Decanus S. Andreae Hildesiensis a. clɔ cccc xxix. in

gore examinis, praeterquam Baccalaureatu, *graduatus.* Quare pro parte dictorum Episcopi, Praepositi, Decani et Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, vt etiam auctoritate apostolica ordinare ac statuere dignaremur, quod nullus de cetero, vigore quarumcunque literarum apostolicarum, vel Legatorum vel delegatorum Apostolicae sedis aut alia quauis auctoritate ad Canonicatus vel praebendas dignitates personatus aut officia dictae ecclesiae recipi possit vel debeat, nisi in huiusmodi literis apostolicis, de huiusmodi ordinatione et statuto nostris, specialis et expressa mentio habeatur, et quod per quascunque clausulas in literis apostolicis super impetrationibus talium beneficiorum poni consuetas, statuto et ordinationi nostris nullatenus derogetur. Nos igitur, cupientes, quod eadem ecclesia in suis iuribus, honoribus, libertatibus, et immunitatibus feliciter conseruetur, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et etiam ordinamus, quod deinceps nullus, literarum sedis praedictae vel Legatorum eius seu quacunque etiam ordinaria auctoritatibus, ad huiusmodi canonicatus et praebendas aut dignitates, personatus vel officia praedictae ecclesiae recipiatur seu quomodolibet admittatur, nisi recipiendus huiusmodi fuerit statu liber, ac de *nobili* vel saltim *militari* genere ex vtroque parente procreatus, aut in aliqua *licita facultate* cum rigore examinis,

in canonicum maioris ecclesiae electus esset, eundem prius fidem de dignitate academica obtinenda facere oportuit quam

nis, praeterquam Baccalaureatu, *Graduatus*. Quibus quidem statuto et ordinatione nostris per *clausulas quascunque*, in impetracionibus graciarum et literis apostolicis apponi consuetas, etiamsi in literis ipsis expressum esset, quod ordinatio et statutum nostra huiusmodi non obstarent, nullum volumus *praeiudicium* generari, nec in aliquo derogari, nisi per nos vel successores nostros, Romanos Pontifices in huiusmodi literis talia verba exprimantur, per que alias appateat *expresse*, quod nos et successores ipsi ex certa scientia statuto et ordinationi nostris huiusmodi derogare vellemus seu vellent. Nos insuper ex nunc irritum decernimus et inane, quicquid contra huiusmodi nostri statuti tenorem, a quocunque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostrae ordinationis ac constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumserit, indignacionem Omnip. Dei et beatorum Pe. et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum *Rome* apud S. Petrum II. Ydus Decembr. Pontificatus nostri anno tertio.

Eadem constitutio innouata et confirmata est a Martino PP. V. XXV. Kal. Ianuarii Pontificatus anno decimo tertio A. C. cIↄ ccccxxx, in append. N. III.

qnam in canonicum reciperetur. Formula literarum haec eſt.

Ego Iohannes Kolchagen, Canonicus maioris, nec non S. Andreae Hildenſ. Eccleſiarum Decanus, promitto Dominis meis Decano et Capitulo dictae maioris eccleſiae, quod ante feſtum omnium Sanctorum velim me transferre verſus aliquod *Studium*, et non reſidere cum eis, niſi fuerim effectus *Licentiatus in Decretis*; et ſi contrarium fecerim, volo eſſe *inhabilis* quoad actus Capitulares et in choro. Promitto impetrare et literas facere expedire per modum innouationis, eccleſiae noſtrae Hildenſemen. alias auctoritate apoſtolica confirmato videlicet iſto, quod nemo in canonicum recipiatur, niſi nobilis aut ex vtroque parente militaris, cet. aut Doctor, cet. Licentiatus cet. et dabunt mihi Domini in ſubſidium L. floren Renenſes. Item huiusmodi indultum impetrabo ante feſtum Paſchae in quantum in me eſt. Item quod decanatus meus Eccleſiae S. Andreae per-

petuis

petuis temporibus remaneat erga aliquem Canonicum ecclesiae Hildensemens. seu quod ipsi maiori ecclesiae aut meae praebendae incorporetur seu annectatur, prout ipsis dominis de maiori ecclesia melius videbitur expedire, Ego volo consentire et consentio, eo saluo, quod hoc fiat expensis Dominorum et quod mihi remaneat in vita mea. Prout praescribitur seruabo, sic me Deus adiuuet. Datum Hildensem. a. MCCCCXXIX.

Cum in ecclesia Metropolitana *Coloniensi* praeter beneficia, non nisi auita nobilitate illustribus conferenda, sint *octo praebendae presbyterales*, quarum duae olim Doctoribus reliquae aliis clericis honore academico non distinctis tribuebantur: Sixtus PP. IV. cIↄ CCCCLXXIV. constituit, (q) vt *praedicti sex Canonicatus et Praebendae non ignobilibus plebeiis humilibusque personis, sed duntaxat*

(q) Vid. Praeceptum *Sixti IV.* ad instantiam Friderici V. datum in *Bullario Magn. Rom. Tom. IX. p.* 283.

taxat Doctoribus et Licentiatis in Theologia vel altero Iurium in aliquo Studio generali cum rigore examinis promotis conferri possint et debeant. Promotis maxime fauent *Concordata Nationis Germanicae*, cum *Martino* V. a. cIↃ CCCCXVIII. inita, (*r*) quibus vt sexta

(*r*) apud LEIBNITIVM *Cod. iur. Gent. dipl. tom. I. p. 386.* Cautum ibi, *quod deinceps in metropolitanis et Cathedralibus ecclesiis Nationis Germaniae sexta pars canonicatuum et praebendarum sit pro doctoribus aut licentiatis in sacra pagina vel altero Iurium, vel in theologia bachalareis formatis, aut magistris in medicina, qui per biennium, seu magistris in artibus, qui per quinquennium post magisterium in theologia aut altero iurium studuerunt in studio generali. Sic videlicet, quod vbicunque non fuerit saltem sexta pars canonicorum praebendatorum in metropolitana vel collegiata ecclesia taliter graduatorum, ibi quicunque deinceps vacauerit Canonicatus et praebenda quacunque etiam Apostolica vel alia auctoritate, non nisi taliter graduato conferatur, quousque dicta sexta pars compleatur taliter graduatorum. - - - Vbi autem soli consueuerunt illustres ac de comitum vel Baronum genere vel ex vtroque genere militares in canonicos admitti, taliter graduati qui acceptare voluerint, si taliter nobiles, vt praemittitur, fuerint, in ecclesiis ceteris etiam nobilibus saltem vsque ad dictum numerum praeferantur.*

ta pars Canonicorum Doctores et Licentiati essent aliisue honoribus academicis exornati, cauetur. Non minus eisdem consulendum censuit *Concilium Tridentinum*, (*s*) dum *dimidiam* canonicatuum partem Magistris Doctoribus vel etiam Licentiatis in Theologia et iure Canonico, vbi id commode fieri posset, conferendam esse monet. Hodienum omnia redeunt ad capitulorum obseruantiam vel statuta, quibus vbi auita generis nobilitas in recipiendis non desideratur, praecipua quaedam solet dignitatis academicae ratio haberi (*t*). Memoranda est Constitutio ALEXANDRI VI. de a. 1501. (*v*) qua recensetur et confirmatur obseruantia tum Capitu-

(*s*) Sess. XXIV. cap. 12.

(*t*) De ecclesia Constantiensi vid. FRID. LEVTH. de FRANCKENBERG *in Europaeischen Herold* tom. I. *p.* 353. de Augustana *ib. p.* 355. de Frisingensi *ibid. p.* 367. de Ratisbonensi *p.* 362. de Tridentina *p.* 364. de Brixiensi *p.* 366. de Basiliensi *p.* 367. de Curiensi *p.* 367. de Elwangensi *p.* 385.

(*v*) in *Valent. Ferdinandi* de GVDENVS *Codice diplomat. tom. IV.* p. 540.

pituli ecclesiae cathedralis *Moguntinae* in canonicis non recipiendis nisi de genere *principum comitum Baronum*, vel *nobilium*, *auita nobilitate illustrium*, tum Capitulorum, per *prouinciam Moguntinam* constitutorum, in canonicis non recipiendis nisi *nobilibus* vel *honore Academico insignitis*. Verba eius sunt haec: *Sane pro parte Venerabilis fratris nostri* BERTHOLDI *Archiepiscopi Moguntini S. R. I. per Germaniam archicancellarii et principis electoris*, *nobis nuper exhibita petitio continebat*, *quod*, *licet iuxta statuta et consuetudines* Moguntine *ac duodecim eius suffraganearum*, Wormatiensis Herbipolensis, Spirensis, Eistettensis, Constantiensis, Argentinensis, Curiensis, Hildesemensis, Verdensis, Paderbornensis, Augustensis et Halberstadensis *diuersarumque notabilium* collegiatarum, illarum ciuitatum et diocef. *Ecclesiarum*, *etiam partim per sedem eandem concessa et ab antiquissimo tempore obseruata*, *respectiue in dicta* Moguntina Metropolitana et insigni, nulli *ad* illius,

 nisi

nisi de illustrium Ducum Principum Comitum et Baronum seu nobilium genere, qui ad minus ex quatuor ascendentibus ex illo gradatim descendentibus nobilibus antecessoribus suis recta linea ac militari sint procreati, nec non aliarum ecclesiarum praedictarum *canonicatus et praebendas, nec non dignitates, personatus, administrationes vel officia, nisi Nobiles et de militari genere procreati, Magistri in Theologia, aut in vtroque seu altero Iurium Doctores seu Licentiati, ac etiam ex legitimo matrimonio geniti aut alias certo modo qualificati recipi et admitti non possint.* Proposita obseruantia ibidem confirmatur, et ne vlla ratione ei derogari per literas apostolicas possit, cauetur.





APPENDIX DOCVMENTORVM.

I.

Statutum Capituli Hildenſemenſis de non recipiendis Canonicis qui parentelam, quatuor teſtibus iuratis, demonſtrare nequeunt. a. 1398.

Nos *Albertus* Scolaſticus totumque Capitulum eccleſie Hildenſemenſis Adiecto ſtatuto, nuper per Reuerendum in Chriſto patrem et dominum noſtrum *Gherardum* Epiſcopum Hildenſemenſem et nos ex certis et racionabilibus cauſis tunc expreſſis, de et ſuper condicionibus et qualitatibus perſonarum, recipiendorum per nos ad canonicatus et prebendas eccleſie noſtre, edito, ſtatuimus et ordinamus, neminem fore admittendum ſeu recipiendum ad dictos canonicatus et prebendas, quantum in nobis fuerit, niſi per antea ſufficienter docuerit, quod perſona huiusmodi recipienda ſit ex *ſui parentela* vel *alias* talis, qualis in praefato ſtatuto declaratur. Et ſi forſitan per *teſtes* huiusmodi documentum facere voluerit, ad minus hoc *per quatuor*, qui *iurati* ſuper hoc deponant,

facere teneantur. Datum et actum anno domini M. CCC. LXXXXVIII. in die cinerum, nostro sub sigillo.

II.

Martinus PP. V. abbati Monasterii S. Michaelis Luneburgensis delegat confirmationem statuti de nobilioribus et militaribus vel promotis recipiendis in Canonicos ecclesiae Hildensemensis A. 1430.

MARTINVS Episcopus seruus seruorum dei, Dilecto filio, *Abbati Monasterii sancti Michaelis Luneburgensis*, Verdensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Ex superne disposicionis arbitrio quamuis immeriti super vniuersas orbis ecclesias in apostolice dignitatis specula constituti, ad hoc promptis desideriis libenter intendimus, vt ecclesie ipse, presertim Cathedrales, vtilium personarum fulcite presidiis, ad altissimi laudem et gloriam, ipso opitulante, condignis honoris et vetustatis iugiter proficiant incrementis. Dudum siquidem pro parte Episcopi Hildensemensis ac prepositi et decani, qui tunc erant, nec non dilectorum filio-

filiorum, Capituli ecclesie Hildensemensis, quondam BONIFACIO in sua obedientia, de qua partes ille tunc erant, VIIII. nuncupato, exposito, quod ad Canonicatus et prebendas ac dignitates, personatus et officia eiusdem ecclesie, regulariter a tempore, cuius contrarii memoria non extiterat, consueuerant recipi persone nobiles de *principibus* ac *comitibus* vel saltem *militaribus parentibus* procreate, et alias tales, quod bona temporalia ipsius ecclesie possent verisimiliter defensare, quodque iidem Episcopus, prepositus, decanus et Capitulum ad hoc, vt iura, libertates ac immunitates et honores ipsius ecclesie vtilius et melius tueri possent, statuerant et ordinauerant, quod in dicta ecclesia ad canonicatus et prebendas ac dignitates, personatus et officia huiusmodi nullus deinceps reciperetur, nisi foret *statu liber*, et nulli cuiquam seruitute obnoxius, ac de *nobili*, vel saltem ex *vtroque parente* de *militari genere* procreatus, aut in *aliqua licita facultate*, *cum rigore examinis*, *preterquam Bacallariatu*, *graduatus*. Idem Bonifacius tunc VIIII. nuncupatus cupiens, quod eadem ecclesia in suis iuribus, honoribus, libertatibus et immunitatibus feliciter conseruaretur, auctoritate apostolica per suas litteras statuit et eciam ordinauit, quod deinceps nullus aliarum literarum sedis apostolice

 vel

vel legatorum eius seu quacunque eciam ordinaria auctoritatibus ad huiusmodi canonicatus et prebendas ac dignitates personatus et officia reciperetur, seu quomodolibet admitteretur, nisi recipiendus ipse foret statu liber, ac de nobili vel saltem militari genere ex vtroque parente procreatus, aut in aliqua licita facultate cum rigore examinis, preterquam Bacallariatu, graduatus, vt prefertur. Quibus quidem statuto et ordinacionibus suis idem Bonifacius tunc VIIII. nuncupatus per clausulas quascunque, in Impetracionibus graciarum et litteris apostolicis apponi consuetas, etiam si in litteris ipsis processum esset, quod ordinacio et statutum huiusmodi non obstarent, nullum voluit preiudicium generari, nec in aliquo derogari, nisi *per ipsum* vel successores suos Romanos pontifices in huiusmodi litteris *talia verba* exprimerentur, per que alias *expresse* appareret, quod ipse Bonifacius vel successores predicti ex certa sciencia statuto et ordinacioni huiusmodi *derogari* vellet siue vellent, nec non extunc irritum decreuit et inane, quidquid contra huiusmodi sui statuti tenorem a quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, prout in ipsius Bonifacii statuti et ordinacionis huiusmodi litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte ve-

venerabilis fratris noſtri MAGNI, Epiſcopi Hildenſemenſis, ac dilectorum filiorum Eghardi de Hanenze prepoſiti et Iohannis de Soltow decani dicte eccleſie modernorum, nec non Capituli eorundem, peticio continebat, poſt et contra ſtatutum ipſius Bonifacii huiusmodi *diuerſe perſone, nec de nobili nec de militari genere huiusmodi procreate*, nec eciam, prout ipſa ſtatutum et ordinacio exigunt, *graduate*, tam auctoritate *litterarum apoſtolicarum*, quam forte alias, ad aliqua ex canonicatibus et prebendis, dignitatibus, perſonatibus et officiis huiusmodi, que interim vacauerunt, recepte et admiſſe fuerunt, ex quarum recepcione et admiſſione ſtatui, honori et venuſtati ipſius eccleſie, que inter alias partium Saxonie eccleſias ex inſignioribus exiſtit, et in qua olim *nobilium filii*, dum numero excreſcerent, *ne eorum temporalia dominia diuiderentur*, recipi et ſuſtentari conſueuerunt, non mediocriter detractum extitit, et ſi in eadem eccleſia, que eciam propter diuerſorum dominorum temporalium diuina, quibus eſt confinis et vicina, pro ſtatu et iuribus ſuis conſeruandis et manutenendis, perſonis eget egregiis, vita, moribus et condicionibus comprobatis, vlterius communiter quibusuis perſonis ad huiusmodi Canonicatus et prebendas dignitates perſonatus et officia pateant recepcio et admiſ-

 ſio,

ſio, ac recipiendorum in ea perſonarum nobilium loca per alios preoccupentur, ex hoc veriſimiliter formidatur, ipſius ſtatum huiusmodi ad maiorem deterioracionem deuenire, eamque eccleſiam tractu temporis grauibus affligi poſſe dampnis et iacturis. Quare pro parte Epiſcopi, prepoſiti, decani modernorum et Capituli predictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt ſuper hiis oportune prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui eccleſiarum omnium decorem ſtudiis exquirimus indefeſſis, et de expoſitis nobis huiusmodi certam noticiam non habentes, huiusmodi in hac parte ſupplicacionibus inclinati, diſcrecioni tue per apoſtolica ſcripta committimus et mandamus, quatenus ſuper eisdem expoſitis auctoritate noſtra te diligenter informes, et, ſi per informacionem huiusmodi, ea reppereris ita eſſe, ſuper quo tuam conſcienciam oneramus, ſtatutum et ordinacionem predicta, prout ordinaria auctoritate primo et deinde per ipſum Bonifacium VIIII. nuncupatum facta fuerunt, auctoritate noſtra *approbes* et *confirmes*, nec non ea plenum et eorum priſtinum robur, ac ſi illis per aliarum perſonarum recepcionem et admiſſionem huiusmodi derogatum non foret, obtinere debere ac perpetuo inuiolabiliter obſeruanda fore, nec non Epiſcopum Hildenſemenſem

ac

ac prepositum et decanum ipsius ecclesie, qui fuerint pro tempore, dictosque Capitulum ad recepcionem quorumcunque ad canonicatus et prebendas ac dignitates personatus et officia huiusmodi contra statuti et ordinacionis eorundem formam et tenorem non teneri, nec ad id a quoquam *apostolica vel alia quauis auctoritate* compelli posse, processus quoque quoscunque, quasuis eciam sentencias et penas in se continentes, super hiis contra Episcopum, prepositum, decanum, pro tempore existentes et Capitulum eosdem, habitos seu habendos, eos et alios quoscunque non arctare, quinimo nullius roboris vel momenti existere, eadem auctoritate nostra decernas. Premissis ac Constitutionibus et ordinacionibus apostolicis ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Nos enim si approbacionem confirmacionem et constitucionem huiusmodi vigore presencium per te fieri contingat, ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud sanctos Apostolos XV. Kal. Ianuarii pontificatus nostri anno tercio decimo.

III.

III.

Statutum ecclesiae Bremensis de qualitate Canonicorum. a. 1473.


HENRICUS Dei et Apostolicae sedis gratia sanctae Bremensis ecclesiae administrator perpetuus in spiritualibus et temporalibus, per sedem eandem deputatus, ad futuram rei memoriam. Ecclesiae nostrae statum in votiuis et prosperis successibus salubriter dirigi, abusus quoque et deformitates, qui in illis irrepserunt reformari et restaurari cupientes, ea, quae circa huiusmodi directiones et reformationes prouide et rite de mandato nostro per Venerabile Capitulum ipsius ecclesiae, autoritate nostra facta comperimus, benigne amplectimur, ac ea grata habentes et rata, approbationis nostrae munimine roboramus et confirmamus, illaque irrefragabiliter obseruari debere, et inter caetera eiusdem ecclesiae statuta et consuetudines ipsorum Canonicorum iuramento firmari solita, interserenda fore sancimus, praecipimus et mandamus, quorum itaque tenores sequuntur, et sunt tales: *Iohannes Rode*, Decanus, *Mauritius Marschalk* Senior, Archidiaconus Rustringiae, *Otto Spade* Praepositus Buccensis, *Godschalcus Helingstede*, S. Anscharii Bremensi in dicta ecclesia

clesia Bremensi praepositus, *Hermannus Bisko-pingk* Cellerarius, *Friedericus Schulte* Wildeshusensis, Osnabrugensis dioecesis praepositus, *Nicolaus de Metelen*, *Bartoldus Ranzow*, terrarum Hadeleriae et Wurtzadiae Archidiaconus et in ecclesia Bremensi Vice-Dominus, *Theodericus Rode*, Ramesloensis Bremensis dioeceseos praepositus, *Ichyso Clüver*, *Ioh. Baller* Canonici Bremenses, capitulum ecclesiae Bremensis repraesentantess ad mandatum Reuerendissimi in Christo Patris et Domini, Domini Henrici administratoris perpetui in spiritualibus et temporalibus dictae ecclesiae per sedem Apostolicam deputati, ecclesiam in abusibus et deformitatibus, qui in eam proh dolor irrepserunt, reformari et antiqua et laudabilia statuta et consuetudines restaurari cupientes, ad infra scripta, quae ecclesiae nostrae indemnitatem ac decorem, venustatem et honorem concernunt, suae voluntati adhaerentes decreuimus procedendum. Recensentes igitur, quamplurimum statui ecclesiae nostrae restaurando et conseruando congruere, immo expediens et necessarium fore, vt, qui ecclesiae nostrae Decanus pro tempore existens et nos Capitulum vna cum Bremensi Archiepiscopo, si praesens sit et eo abeunte nos soli, tanquam principales et potius ipsius ecclesiae membrum, omnibus tractandis et gerendis, quae

quae ecclesiae et totius Dioeceseos Bremensis statum Pacificum et tranquillum iurium et bonorum suorum prrotectionem et defensionem reique publicae salubrem directionem concernunt, interesse ac praeesse ac prouidere et vtiliter consulere consueuerimus et debuerimus, prout debemus et tenemur, vt praefatae ecclesiae *Canonici* ac *Capitulares* nonnisi notabiles et prouidi et experti viri, morum honestate conspicui ac tales, qui ab omnibus reuereantur, de *legitimo matrimonio* ac a parentibus, *nullius seruitutis* iugo adstrictis, sed *liberis* et *ingenuis*, nec aliqua infamia siue nota resperfi, qui mechanicam artem nec exercent, nec exercuerunt, procreati; qui etiam per se ipsos talem maculam siue notam non contraxerunt, quomodolibet recipiantur seu admittantur, et si forte inadtenter ecepti sunt, emancipentur. Primo statuimus et ordinamus statuto irrefragabili, quod nullus de caetero in Canonicum et confratrem nostrum quomodolibet admittatur et recipiatur, ac admissus fortasse emancipetur, nisi iuxta praemissas congruitates et experientias qualificatus fuerit, et de illis etiam legitime docuerit. Adiicimus etiam hiis, quod ipse recipiendus et admittendus in ea sit aetate constitutus, quod temporibus congruentibus se ad ordines, quos canonicatus et praebendas

bendas, ad quos quis recipi petierit, requierunt, se possit facere promoueri; alioquin minime recipiatur; Insuper statutum illud in vulgari editum, quo cauetur, quod neminem beniuole ad canonicatum et praebendam in ecclesia nostra admittere velimus, qui in S. Willehadi et S. Anscharii ecclesiis canonicatum et praebendam vel in ciuitate Bremensi aliud quodcunque beneficium seu beneficia obtinens, canonicatum et praebendam in dicta maiori ecclesia Bremensi assequi valeat, ac ad illos admitti possit vel debeat, nisi prius et ante omnia iuret, illud, vel illa ante suam emancipationem resignare et dimittere. Quod si non fecerit, nequaquam emancipetur, et si iam canonicatum et praebendam in dicta maiori ecclesia emancipatus obtinens, aliud beneficium in dicta ciuitate assecutus fuerit, per huiusmodi assecutionem ipsi canonicatus et praebenda in ecclesia Bremensi vacare censeatur. Nos vero Iohannes Decanus praefatus et singuli canonici ecclesiae Bremensis hic superius nominati iuramus ad S. Dei euangelia, quod deinceps procedente tempore, neminem admittere volumus nec intendemus, nisi iuxta praemissas congruitates et experientias qualificatus fuerit et de illis etiam legitime docuerit. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum, nos Hinricus

cus administrator ac Iohannes Decanus et capitulum supradictum praesentes literas nostrorum sigillorum duximus appensione muniendas sub anno a natiuitate Domini M.CCCC.LXXIII. Indictione VII. die vero XI. mensis Febr. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Domini Sixti Papae IVti anno IIdo.



IN-

INDEX RERUM.

Numerus paginam denotat.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

Heer-

I.

L.

M.

N.

P.

Ponti-

R.

S.

T.

Testamenta

V.

W.



